Impiorũ proſperitas efficit fideles in bono conſtantiores.

Non eſt cur miremur conſtantem peccatorum in terris felicitatem: crimen & criminoſus brevi evaneſcent, nullumque florentis eorum fortunæ veſtigium ſupererit: *Elevati ſunt ad modicum*. Tempus proſperitatis malorum nobis diuturnum videtur; quia obex eſt, ne compleantur noſtra deſideria, quæ fortaſſe ſimili proſperitate frui vellent. Perſuaſum nobis eſſe debet, Deum rebus in omnibus mortalium generalem ſibi proponere utilitatem, indignationis, & iracundiæ ſuæ effectus inhibendo. Si æquiſſimum Dei intueamur conſilium etiam in ipſa impiorum proſperitate æque ac in humiliatione juſtorum, certiſſime conſtat, omnem terrarum orbem breviſſime deſiturum, ſi peccatores in ipſo flagitiorum ſuorum primordio exterminarentur. Perſuaſum nobis eſſe debet, immixtionem felicium, & calamitoſorum, bonorum, & malorum quæ in mundo videtur, ad privatorum utilitatem nonnihil conferre. Perſpicuum eſt peccatorum proſperitatem bonis eſſe poſſe utiliſſimam eodem in ſenſu, quo docet Salvator, *neceſſe eſſe, ut veniant ſcandala* ad majorem fidelium utilitatem. Exempli gratia quot Doctores ac Martyres aliqua peperit hæreſis? quantum auget fervorem Catholicorum? Quam perficit fidem eorum? Veri fideles in officiis ſuis fiunt diligentiores: creſcit humilitas, & ſe ſe communit conſideratione malorum, in quæ mens humana labi poteſt ubi ſemel ſeſe in reprobum tradidit ſenſum. Per ea ſcelera, in quæ alios cernimus, melius erga nos divinæ miſericordiæ effectus ſentimus. Hoc pacto viri boni videntes conſtantem eorum proſperitatem, qui in ſæculi vitiis vivunt, firmius inhærent Deo. Hoc efficit, ut de ſalutis noſtræ inimici verſutiis diffidant, ſibique magis caveant contra illius calliditatem. Hoc in ſenſu peccatorum proſperitas fidelibus prodeſt, eorumque vires auget; ut a malo quidem longius abſint, in bono vero conſtantius perſeverent: *Plurimum proſunt, ut cautiores ſimus*. *P. la Peſſe Tomo* 5.

S. Auguſt. de vera Relig. c. 8.

Fidelis non dolet impiorum proſperitate, ſciens hanc cũ eorũ vita deſiturã.

Quin in amaros quæſtus prorumperemus intuiti peccatorum proſperitatem; nonne potius contemnere deberemus omnia hujus mundi bona, quandoquidem bonis æque ac malis communia ſunt, & plerumque ſunt pars peccatorum? Si Dei Filius vobis in hoc mundo pollicitus eſt proſperitatem, ſi hanc fidelibus omnibus pollicitus eſt, de illo veſtræ audiantur querelæ, ubi videritis infidelem quidem beatum, fidelem vero calamitoſum: *Si felicitatem ſeculi hujus tibi promiſit Chriſtus; murmura adverſum eum..... quando vides infidelem felicem*. Verum ſi contra dixit futurum ut boni ingemiſcant, cum mundus gaudebit; quæ veſtra querela eſt? Si fideles ſumus, Dei mandatis noſmet ſubjiciamus. Acquieſcamus ſtatui, in quo divinæ Sapientiæ conſtituere nos placuit, & omnem divitiarum cupiditatem abjiciamus ne evadamus nequiores. Proſperitas peccatorum nobis invidiam non cieat. At enim & juſti ſimul eſſe poſſumus, & divites: non abnuo. Fideles licet divites terræ hujus bonis non inhærent, ac præſto ſunt, ut omnia derelinquant ſi hanc Dei voluntatem eſſe ſibi perſuadeant. Locupletes ideo juſti quia flocci faciunt omnes mundi hujus divitias. Verum eſt hos numerabiles eſſe utpote paucos, juſtos vero calamitoſos longe plurimos eſſe. Cur hoc? quia terra cœlum eſt peccatorum; hi ſibi ſunt Dei; juſti vero omnem ſpem ſuam in Dei bonitate conſtituentes, non aliam manſionem debent expectare, quam gloriam æternam. *P. la Peſſe Tomo 5.*

In Pſalm. 36.

Infinita Dei miſericordia minima etiã diſponit in fidelium ſuorũ utilitatem. *Rom. 8.*

Quidquid ſit de peccatorum proſperitate; quemcumque inde mœrorem concepimus, aſſueſcamus non ita curioſius perquirere, quod in viis Dei, & adorabilibus divinæ illius providentiæ ſecretis aſſequi non poſſumus. Certi ſimus illum omnia in fidelium utilitatem diſponere. *Diligentibus Dominum*, Apoſtolus inquit, *omnia cooperantur in bonum*. Ille ſemper ad majus ſuorum Electorum commodum diſponit: Quantumvis ſtuporem nobis injiciat ejus conſilium, fidenter credamus, nihil ab ipſo in minimis quoque rebus negligi, quod nobis ad ſalutem valeat conferre. Intuentibus nobis peccatorum proſperitatem videbitur fortaſſe Deus non admodum eſſe ſollicitus de illis, qui pertinent ad ipſum: Verum infinita ejus Sapientia poteſt ne quidquam ſorti committere. Num quidquam in terris fieri, dici, cogitarique poteſt in terris, quod eum fallat? Nonne magnum nobis conſolationis argumentum eſt, teneri ad credendum, omni in eventu, ad majorem utilitatem noſtram Deum ſapientiam, & bonitatem ſuam exercere. *Idem*.

Proſperitas efficit ut homines nullo ſenſu afficiantur, cum Dei ira illis minitatur.

Miramur nonnumquam videntes mundi ſectatores, ac perditos nullo in diſcrimine habere minas, quas Deus illis intentat, & omnino oblivisci eorum ſuppliciorum, quæ illos manent. Hæc terrena felicitas eos concomitatur, & cauſa eſt, quod omnem ſenſum abjiciunt. Si moleſto quopiam eventu perturbarentur; poſſent tunc oculos aperire, ac videre juſtitiam Dei jamjam in ipſos tela ſua contorquentem. Sed omnia eorum affectionibus velificantur, & ipſe terribilis hujus juſtitiæ conceptus ex eorum mentibus obliteratur. Quomodonam fides illis exhibere poteſt judicem, cui aliquando reddituri ſunt rationem diſtrictam vitæ ſuæ; cum omnes ſenſus jugularint ſuaviſſimo tumultu impedimentorum, unde ſuas hauriant divitias? In hoc rerum ſitu, quidnam eos cogere poſſet, ad judicia Dei pertimeſcenda? Nihil jam id aſſequi poteſt, quam hujus fortunæ mutatio. Tunc obduratiſſimi peccatores ſentire poſſunt pondus manus omnipotentis, quæ ubi voluerit proſternit, quidquid attolli paſſa eſt. Tunc peccatores in ſe reverſi per malum præſens, quod minime aperiebantur; conantur ſaltem futura evitare mala, quæ debent expectare. *Perterriti, erudimur*, S. Gregorius Nazianzenus ait. Ictus qui nos terrent, obruunt, efficiunt, ut illos præſentiamus, qui nobis impendent, & nos manent; atque ea quæ patimur, erudiunt nos de iis, quæ expectare poſſumus a nobis eſſe perferenda. *P. la Peſſe*.

Epiſt. ad Caſ. Fratr.

Cauſa hujus ſtupiditatis peccatorum.

Quæ cauſa eſt, ut parum idonei ſimus ad cognoſcendum periculum, quod ſubimus, cum proſperorum eventuum ſeries vitium fovent; voluntas enim peccatoris taliter inhæret objectis, quæ amat, ut cæterorum ferme objectorum ſenſum amittat. Hinc ſequitur, quod peccator ſemper ſe minus convertet erga Deum, quo magis votorum ſuorum ſummam conſequitur; etenim per hoc, ut Scriptura loquitur, fit omnino terrenus, & animalis. Heu! Mortales mundi ſectatores, quam miſera hæc veſtra conditio eſt! ſi quamvis omnia vobis fluant e ſententia, eaque poſſideatis, quæ veſtris cupiditatibus velificantur, tamen ultionum Deum non reformidatis. Tandem vobiſcum aget, tamquam cum inimicis, eo magis irritatus in vos, quo minus iram illius effugere contenderitis. At hæc eadem ira, quæ ſuapte natura omnia vobis proſpera largitur, contemnenda non eſt. Quorſum? quia fere eam temeritas, atque præſumptio ſubſequitur. P. *la Peſſe*.

Undenam oriatur mira ſecuritas in qua homo peccator vivit.

Voluptatem, gloriam, terræ bona aucuparis; his pacate frueris, quamvis ſcelera ſceleribus cumules, cumque tibi genio indulgenti nihil accidat triſte, te undique tutum putas, & Dei legem nullo habes in diſcrimine; quippe nullis tibi ſtat ſumptibus illam violare. Ne quis ſe tutum eſſe arbitretur, qui noxios velit affectus ſuos ſuaque retinere vincula. Ne cogitat quidem ſe eo verſari in periculo, in quo eſt, cum vivendi licentia funeſtos exitus non habet; mortalis excæcatur, & exitus ipſe illum confirmat. Ita puer eo nequior evadit, quo magis ſperat ſe abuſurum patris nimium crudeliter amantis indulgentia. *In labore hominum non ſunt*, inquit Propheta, *& cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos ſuperbia*. Homines pravi non afflictantur, ut cæteri, & ideo magis ſuperbiunt, atque intumeſcunt, audaciuſque ſua ſcelera committunt, quia ipſorum impietas nullis torquetur adverſis. Veruntamen Deus in eos ſeverius nequit animadvertere, quam permittendo, ut ſe miſericordia præbeant indignos, & de ipſis iniquitatibus ſuis agant triumphum. Omnia itaque ad felicis peccatoris requiem ſimul ac interitum confluunt: Deus, qui eorum felicitati nullum conſtituit obicem; & qui eam permittens, ulciſcitur; & peccator ipſe qui ex ipſa ſua felicitate creſcit, ut in vitiis ſuis callum ducat; & ipſum denique peccatum, quod in vitæ ſuaviſſimæ curſu, ſuum celat horrorem. Nonne miſerum oportet illum eſſe, qui miſeriam ſuam ſibi in voluptatem convertit? Patitur juſtus; tamen diligit illum Deus; peccator voti ſui compos eſt, tamen hunc Deus perhorreſcit. P. *la Peſſe*.

Pſalm. 72.

Impii proſperitas argumentum eſt divinæ in illum iracundiæ.

Proſperitas impii ſuper terram, plerumque eſt graviſſimum ſupplicium, quo Deus illum in terris punire poſſit. Cogitatio hæc deterrere deberet filios tenebrarum, & carnis ſapientiam confundere: quamvis e contra impii proſperitas divinæ Juſtitiæ videatur officere; hæc illius tamen eſt certiſſimum ac terribile documentum. Vere dicere poſſumus: plerumque omnia peccatori e voto contingere, quoniam Deus in illum irritatus eſt; quia peccator, qui dies ſuos in abundantia, & deliciis traducit, tunc eſt divinæ ultionis objectum. Quomodo iſtud? Quia proſperitas aliquo in ſenſu efficit, ut de ſalute peccatoris ſpes abjiciatur; aufert enim peccatori timorem, quem habere deberet judiciorum Dei, ad quæ non advertit animum inter delicias, & flagitia, inter quæ ſuum terit tempus; & quia calamitoſus hic ſtatus, in quo peccator totum ſuum tempus impendit, magis magiſque Dei miſericordiam ab his miſeris mortalibus amovet. P. *la Peſſe*.

Proſperitas prohibet, ne Dei judicia videantur.

Proſperitas ſuapte natura peccatoribus aufert metum judiciorum Dei, qui eos poſſidere ſinit, quod diligunt.

Hujus

Hujus iracundia ſuper illorum capita non ſævit; ſopore capiuntur, atque dormitant; ac nulla re excitantur. Ardenter ſuis cupiditatibus obſequi feſtinant; ſine ulla religione, & exceptione in omne nefas ruunt. Pravarum ſuarum affectionum mancipia, omniaque illis permittentes oblivioni tradunt judicis jamjam illos damnaturi minas, ſemperque magis ſe ſuis flagitiis ingurgitant. Fingi tamen poteſt ſtatus hoc calamitoſior? Hic profecto eo magis metuendus eſt, quo magis ſe circumundique in tuto eſſe cogitantes effuſiori licentia omnibus ſe abdunt cordis ſui deſideriis. Talis eſt conſtantis peccatorum felicitatis effectus. Omnia illis arrident; omnia illos illiciunt, cumque ſe felicitatis verticem attigiſſe putent, aſſerta ipſorum felicitas eos ita excæcat, ut nullum habere queant ſenſum malorum, quibus jamjam ſunt obruendi. *P. la Peſſe*.

Proſperitas impiorũ magnus eſt obex illorum converſioni.

Obſtupeſcimus nonnumquam intuiti flagitioſos homines, quibus negotium minime faceſſunt Dei minæ, & qui oblivioni tradunt ea, quæ ipſis præparantur ſupplicia. Succenſeamus temporali huic felicitati, quæ illos ſubſequitur: ſi quo moleſto perturbarentur eventu, oculos aperirent, ac Dominum diſtricto fulmine armatum viderent jamjam in illos animadverſurum: verum cum omnia fluant ad cupiditatum ſuarum arbitrium, ipſam etiam juſtitiæ notionem amittunt. Quomodonam homo hic lucro, magniſque ſuis intentus negotiis iniquitatum ſuarum opprobrium, pœnamque vereatur? Ipſe de his omnibus diſponit, quæ ſuam illiciunt cupiditatem. Eum fulcit herus, qui cum illo omnes iniquitatis fructus patitur; miſeri, quos expilat, & opprimit per manus illius tranſire tenentur; ab illius pendet arbitrio eorum queſtubus, quemcumque vult, ſenſum appingere; æque callidus, aviduſque novit nanciſci occaſiones utendi vi, & colore ob eamdem tegendam. Fides non repræſentabit illi Supremum Judicem, cui aliquando diſtrictam rationem eſt redditurus; illius quippe ſenſum omnem ſuffocavit inter tumultum eorum impedimentorum, quibus locupletatur. Hoc in ſtatu quis illum cogere poſſet, ut Dei judicia reformidaret &c. *P. la Peſſe in Sermone de juſtitia Dei miſeros per proſpera puniente*.

Peccator in proſperis videtur ſibi polliceri quod divinæ ſemet potentiæ valeat ſubtrahere.

Proſperitas efficit, ut cum contemptu, & indignitate Dominum excipiamus excæcantes noſmetipſos, ac nobiſmet perſuadentes futurum ut impoſterum propriis viribus ſtare poſſimus quin cœleſtibus auxiliis indigeamus; ſed qui adeo liberaliter ſuas in nos benedictiones effudit, nonne earum ubi voluerit fontem exhaurire poteſt? Quid dico? Qui nos de pulvere eduxit, nonne, ubi velit, iterum in pulverem poteſt redigere? Numquid minus factus eſt potens, quia nos exaltavit? Saltem bona, quibus ab illo aucti fuimus, efficiant, ut ejuſdem potentiæ meminerimus. Numquid potentior eſſe debet, ut ea nobis auferat, quam fuit ut illa nobis prodigeret? *P. Segneri in Meditationibus*.

Peccatori caro emendæ ſunt pretio fallaces lætitiæ, quas in terrenorum bonorũ poſſeſſione percipit.

Licet peccatores in vita puriſſimis, atque conſtantiſſimis gaudiis perfruerentur, ideone ſors illorum eſſet invidenda? Non ita ſane; quoniam pars eorum poſt obitum nonniſi infernus eſſe poteſt. Cogitatione penetremus horrentia hæc loca, ibique intueamur peccatorem hunc, quem vidimus adeo locupletem, potentem, atque nitentem in terris. Scrutemur carceris horrorem, pondus catenarum, carnificum ſævitiam, ignis eam devorantis vim, opprobrium, quo ſuffunditur, contumelioſa verba; quibus proſcinditur, ejus queſtus, gemitus, dolores, cruciatus, rabiem, atque deſperationem, qua diſcerpitur. Pati quæcumque fingi poſſunt mala; quin valeat ullum doloribus ſuis ſperare ſolatium; in omnem æternitatem uti, rabie agitari, deſperare, donec Deus erit Deus: hic fructus eſt gaudii, & voluptatum, quas peccator, dum viveret, guſtavit: vellemne illis & ego eodem pretio perfruendas coemere? *Pater Segneri in Meditationibus*.

Quam pernicioſa ſit proſperitas ſine adverſis.

Sanctus Auguſtinus animadvertit nihil impuni proſperitate pernicioſius eſſe. Credunt tunc homines ſibi quocumque pretio eſſe progrediendum, talenta ſua in lucro eſſe ponenda, fortunam, quouſque fieri poteſt promovendam. Sibi gloriantur, cum mala fecerint, & quotidie ad graviora patranda fiunt audentiores. Cum miſero illo, de quo in Scripturis ſermo eſt, peccavi, inquiunt, omnes fregi officiorum meorum cancellos, omniaque Religionis inſtituta ſuſdeque permiſcui, ut aſcenderem; & quid mihi accidit triſte? Numquid negotia mea peſſum abierunt? Cur ergo mihi terror incutitur? Hinc autem quid ipſi inferemus? Nihil non maxime terribile propter minas, quas intentavit Deus apud Prophetam ſuum. Dereliquiſtis me, ut poneretis aras fortunæ, eique ſacrificia offerretis. Credidiſtis in tranquilla bonorum veſtrorum poſſeſſione vos inventuros eſſe perfugium iracundiæ meæ: irriſiſtis ſaluberrima eorum monita, qui vobis affirmabant ſatius eſſe adire periculum omnia potius perdendi, quam animam ſuam, ſed quo voſmet redegeritis, ipſi videbitis. *Dictionarium Morale tomo* I.

Impius vivẽs in terris quin aliquando ad Deum revertatur victima eſt, quã ille ſaginari ſinit in die ultionum ſuarum.

Impius vivit in terris, tranquillam, beatamque vitam ibi traducit, immo triumphat; hæc ea eſt, quæ paſſim auribus noſtris accidit querela; hic color eſt, qui aliquando prætexitur, ut de Sapientia, juſtitiaque Dei dubitetur. Hæc bonorum malorumque permixtio carnales animas deterret; & proſperitas, qua fruitur improbus, corruptas indurat animas, quæ nonnumquam eo impudentiæ perveniunt, ut dicant, Deum ſapientiorem futurum, ſi impii minus viverent. Pauliſper expectate, animæ incertæ, ac nutantes, quarum frequens hæc de Deo auditur querela. Pauliſper adhuc expectate, vobiſque perſuaſum erit, impium non eſſe beatum, niſi ut magis, magiſque lapſu ſuo magnificet Deum quem afficit contumelia, & qui illum in ſcelerum ſuorum tolerat iniquitate. Erit enim ille objectum ultionis Dei, cum fuerit antea patientiæ ejuſdem. Ipſi credimus impium hunc mortalium omnium beatiſſimum; ſed licet impius, licet beatus ſit, miſera victima eſt, cui parcit Deus Providentiæ ſuæ legibus adhæſurus. Diuturnam illi vitam concedit, ut ei ſpatium relinquat in ſe revertendi, neque ad officium redeundi: verum cum omnes illius ſpes inanes ſint, (abſit verbo invidiam) ſinit victimam hanc ſaginari poſtmodum ſuo furori immolandam. *Pater la Peſſe tomo quinto*.

PROVIDENTIA DEI.

Cura, quam gerit neceſſitatum ſpiritualium, atque temporalium hominum. Confidentia, quam in illa habere debemus, & ſubmiſſio illius conſiliis, atque imperiis præſtanda.

MONITUM.

Nullum in chriſtiana morum diſciplina argumentum reperies, quod divina providentia latius pateat, quandoquidem in omnibus locum habet argumentis. Inter cætera vero hoc nomine tenus a confidentia in Deo, & conformitate cum voluntate Dei, de quibus alibi ſermo fuit, diſcrepare videtur, neque ſeparari poteſt a juſtorum adverſis, proſperiſque impiorum; hæc enim ad providentiam pertinent, non ſecus ac ultio, quam exercet in improbos, quod oſtendimus, cum de proſperitate ageremus. Quamobrem cum crambes repetita, uti in adagio eſt, noceat, nequaquam hoc in loco iterabimus ea, quæ in memoratis titulis allata ſunt, qui aliquem cum hoc, de quo agimus, nexum habent, atque rationem.

Fert igitur animus ea hic tantum afferre, quæ inveni propius ad ſuggeſtum pertinentia, & quidquid collegi ex Patribus, Theologis, Aſceticis, atque Concionatoribus ſpectans ad generalem providentiam, qua Deus mundum moderatur, præſertim vero qua juſtorum curam gerit omnia, quæ accidunt, ad eorum ſalutem diſponens.

Argumentum hoc alioquin adeo late patens pertractantibus auctor eſſem, ut præſertim de confidentia loquerentur, qua in providentia Dei collocanda eſt pro vita hujus neceſſitatibus; in hoc enim paſſim deficimus, cum e contra nimis confidamus propter ea, quæ ſalutem, ac ſpiritualia bona reſpiciunt; atque ut adniterentur perſuadere auditoribus ſuis, Deum peculiarem gerere curam eorum, qui ipſi fideliter ſerviunt.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus Argumenti Structura.

I. NUlla in Deo perfectio eſt, quæ quovis tempore hominum contradictioni patuerit magis, quam illius providentia. Alii eam omnino negant, quod facere veteres quidam Philoſophi, hodieque faciunt Athei per voluntariam cæcitatem, ne aliam vitæ normam ſequantur, niſi ſuas cupiditates. Alii eam inſimulant, atque perſtringunt tamquam injuſtam in bonorum, malorumque vitæ hujus diſtributione; & iſti homines ſunt amore proprio excæcati, qui ſeipſos tantum reſpiciunt omniaque ad ſuum commodum, atque utilitatem referunt, id tantum probant, quod ſibi arridet, & de Divina erga ſe providentia conqueruntur. Alii denique ſunt mundi ſapientes, atque politici, qui inania concipiunt conſilia, & qui in cœptis ſuis ſibi perſuadent votorum ſuorum ſummam conſecuturos ope ſuæ tantum induſtriæ, laborumque ſuorum, quin pendere velint a providentia, & in ea ſuam confidentiam ſtatuere. Hæc tria ſunt hominum genera, quos cum Scriptura vocare poſſum profugos a providentia, & quos hoc in ſermone impugnaturus ſum, aliis quidem perſuadens veritatem, atque neceſſitatem providentiæ omnia hujus mundi regentis: aliis vero, qui conqueruntur, oſtendens illam infinite ſapientem, ac juſtam eſſe in ordine, quem inſtituit, & ea ratione, quam cum hominibus agit; ac illis tandem, qui ab illa pendere nolunt, & qui in ſua tantum induſtria, & dexteritate confidunt, ipſos numquam niſi in perniciem ſuam votorum ſuorum ſummam eſſe conſecuturos.

Pars prima. Illi, qui nolunt agnoſcere providentiam, quæ omnibus terrenis rebus invigilat, eaſque perducit ad finem licet per eas vias, quæ nobis exploratæ ſunt, ſatis eſt oculos conjiciant in partes omnes, quæ magnum hunc mundum conſtituunt, ac videant, quonam ordine per tot ſæcula omnia conſerventur, ut ſtatim inferatur Univerſum orbem hunc nequaquam fortuito coaluiſſe, vel caſu gubernari; ſed infinita regi ſapientia, quæ, ut Spiritus Sanctus ait, attingit a fine uſque ad finem. Itaque inter Dei omnipotentiam, ac providentiam talis eſt nexus, ut alteram fateri non poſſimus, quin ſimul & alterum fateamur. Potentia illius in entium omnium nitet creatione, ejus vero providentia mirum in modum eluceſcit in ea actione, qua omnia moderatur: & quemadmodum nihil ſine illius omnipotentia producitur, ita nihil niſi per ejus providentiam regitur, deducitur, gubernatur. Latius inſtitui poteſt ſermo de perfectionibus, quæ hanc providentiam componunt; de infinita ejus ſapientia quæ omnia cognoſcens, ignorare nequit, qua re indigeant creata; de bonitate, quæ illa non eduxit ex nihilo, ut derelinqueret; de juſtitia, non enim tenebatur Deus illis eſſentiam conferre; ſed hoc poſito, quod illa ad hunc finem creaverit, hoc etiam ſibi arrogavit officium illis ſuppeditandi adminicula, quibus illuc pervenirent. Quod multo magis juſtum eſt erga hominem, quæ omnium creaturarum præſtantiſſima eſt, & pro quo cætera facta ſunt.

Pars altera probare debet æquam eſſe providentiam iis, qui conqueruntur, atque illam injuſtitiæ nomine inſimulant in inæquali bonorum, malorumque hujus vitæ diſtributione, quod opibus cumulet impios, & in afflictione, paupertate, & ſqualore bonos relinquat: ſed ut his criminationibus reſpondeamus, oſtendere debemus eos, qui in hæc murmura erumpunt, eſſe 1. Homines amore proprio excæcatos, qui ſua tantum commoda, ſuaſque curant res, non autem ordinem, ac bonum totius ſocietatis humanæ, quæ ſtare non poteſt niſi per mutuam ſubmiſſionem, qua alii pendeant ab aliis, pauperes quidem a divitibus, dives vero a pauperibus. 2. Non videre naturalem providentiam, quæ temporalibus eorum invigilat neceſſitatibus, ſemper ſubordinatam eſſe ſupernaturali providentiæ, quæ ſalutis animæ ipſorum curam gerit: ita ut ea ratio, quæ illis nimis auſtera videtur, ex infinitæ hujus ſapientiæ judicio ſit æternæ illorum felicitati utiliſſima &c.

In parte tertia reſpondebimus illis, qui contendunt ſeſe divinæ providentiæ conſiliis ſubtrahere, ſe ſola induſtriæ ſuæ vi votorum ſummam conſequi poſſe, & ut verbo me expediam, vitæ ſuæ arbitros eſſe, quibus oſtendendum eſt nihil unquam illi ceſſurum ex ſententia, niſi peculiarem in hac providentia confidentiam conſtituerint. 1. Quia lumina eorum nimis infirma ſunt, & circumſcripta, ut videant, quid faciendum, ut quo contendunt perveniant. 2. Quia ſibi complacet Deus evertens inania ſapientum ſæculi conſilia, quemadmodum in Scripturis minitatur. 3. Quia ferre non poteſt ſuperbos, qui extruere volunt Babylonicam turrim, eoſque propriis tradit cupiditatibus, quæ eſt omnis excidii eorum cauſa.

II. 1. Adeſſe providentiam eventus omnes, qui nobis accidunt, diſponentem tamquam media ad finem, quem infinita Dei ſapientia ſibi propoſuit, ideoque noſmet illi ſubjicere debere, nequicquam enim illi adverſamur; & quidquid nobis hæc providentia præcipit, ſemper ad noſtram eſſe utilitatem, ſi noſmet ex animo eidem ſubjicimus. 2. Providentiam hanc ſuper juſtos potiſſimum vigilare, ac efficere, ut omnia in eorum cedant utilitatem, ideoque ipſos nil melius efficere poſſe, neque ſublimiorem virtutem exercere, quam ſeſe illi penitus ſubjiciendo.

III. 1. Cum nobis perſuaſum ſit, uti decet, adeſſe providentiam, ſupremamque cauſam omnia hujus mundi diſponentem tam generatim, quam ſingillatim, perſuaſum quoque nobis eſſe debet, irrito conatu aliquem illi adverſari, aut reſiſtere velle; etenim quidquid illa præceperit, nobis invitis eveniet. 2. Qui illi obluctatur, agit contra ſeipſum, infinitis ſe privat bonis, & commodis; quemadmodum e contra qui ſeſe his rebus omnibus ſubmittit illam adigit, ut ſui præcipuam curam ſuſcipiat, & gerat.

IV. 1. Omnino neceſſarium eſt in mundo eſſe providentiam, ſine qua omnia in terra, & cœlo confuſa eſſent, atque perturbata, nihilque vigere, & ſubſiſtere poſſet. 2. Quanam in re hæc providentia conſiſtat, quod ſit illius officium; hoc duplex eſſe, alterum naturale, & ſupernaturale alterum. 3. Omnino in illa confidendum pro vitæ hujus, & alterius bonis; alioquin nos neutra conſecuturos.

V. 1. Qui omnem confidentiam ſuam in Divina providentia conſtituit, rationem invenit, qua ſemper ſit tranquillus, contentus, & in hac ipſa vita beatus. 2. Hic rationem invenit, qua æternam ſibi in cœlo procurare poſſit felicitatem: hæc enim via eſt certam faciendi ſalutem noſtram, eximias quaslibet virtutes exercendo.

VI. 1. Nihil iniquius eo, qui providentiam fateri detrectat. 2. Nihil infelicius eo, qui ſeſe providentiæ conſiliis conformare recuſat. Sed e contra per duplicem prorſus oppoſitam illationem, nihil ſapientius eo, qui rebus in omnibus providentiam adorat, atque rebus in omnibus ducem ſequitur fidem providentiæ. Nihil felicius eo, qui in providentiæ ſine omne ſuum collocat præſidium. Hæ duæ ſunt veritates, quæ ſolatium afferre poſſunt, & concionis partitionem efficere. *Deſumptum ex novis, veriſque ſermonibus P. Bourdaloue.*

VII. Quicumque providentiam negat, atque Dei excutere quærit imperium, id nonniſi alterutra ex his rationibus efficere poteſt; videlicet vel ſpiritu infidelitatis, quia hanc non agnoſcit, neque credit providentiam; vel ſimplici cordis rebellione, quia illam credens, atque ſupponens eidem ſeſe ſubjicere detrectat; quamobrem duplicem hanc propono veritatem.

Prima eſt: Si hoc agit ſpiritu infidelitatis, hæc maxima cæcitas eſt, in quam aliquis labi poſſit, quin hoc eſt Atheum eſſe.

Veritas altera: Si ex cordis rebellione; hæc graviſſima eſt obduratio, ac perſpicuum argumentum, quod homo ſeſe omnibus vitiorum generibus mancipaverit, & cor illius omnino corruptum ſit. *Ex eodem.*

VIII. De eorum infelicitate, qui providentiæ regimini ſemet ſubtrahere quærunt 1. Abnegans adorabilem hanc providentiam homo vel nullum ſequitur conſilium, vel ſuum, quod certiſſimum eſt malorum omnium principium. 2. Deum relinquens, & a providentiæ illius mandatis recedens Deum pariter cogit, ut recedat, & ſummoveat paternum præſidium, quod juſtorum in terra felicitatem conſtituit. 3. Hoc pacto ſeipſum privat ſuaviſſima, & unica conſolatione, quam habere poſſit in adverſis. *Ex eodem ſermone.*

IX. Duo ſunt, quæ ex Sancti Auguſtini ſententia hominem movere poſſunt, & in corde illius impreſſionem efficere; officium ſcilicet, & utilitas. Officium, quia rationalis eſt; utilitas, quia amat ſe ipſum. Oſtendere autem volo, 1. Officium noſtrum nos adigere, ut providentiam credamus. 2. Et noſtra intereſſe eidem noſmetipſos ſubjicere. *Ex antiquis ſermonibus editis ſub nomine Patris Bourdaloue.*

X. 1. Nihil Deo contumelioſus eſt; quam de illius providentia diffidere; ipſe enim aſſerit hoc Ethnicorum, atque infidelium proprium eſſe, qui Deos colunt, qui illis, ubi ope indiguerint, opitulari minime valent. 2. Nihil inutilius eſt, quam ſeſe illi opponere, ſe attollere, vel conatus exerere, ut contra ejuſdem ſtatuta aliquid ad finem perducatur; ipſe enim Salvator affirmat, neminem eſſe, qui propriis viribus, atque induſtria addere poſſit ſtaturæ ſuæ cubitum unum. 3. Nihil ſuavius eſt, nihilque majus afferre ſolatium poteſt, quam providentiæ hujus imperiis ſeſe ſubmittere. *Ex auctore ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta ſermone pro 14. poſt Pentecoſten Dominica.*

XI. De peculiari erga juſtos providentia.

In peculiari providentia, quam habet Deus erga juſtos animadverto duas qualitates, quas Sapiens tribuit providentiæ generali, vim videlicet, & ſuavitatem: *Attingit a fine uſque ad finem, & diſponit omnia ſuaviter*, 1. Vis ejus elucet conſulendo efficaciter neceſſitatibus eorum, qui in illa confidunt. 2. Suavitas vero efficit, ut ſine labore, & moleſtia vivant magis contenti in mediocritate ſua, quam alii in opulentia, omniumque bonorum copia. *Ex eodem, ſermone pro 4. Quadrageſimæ Dominica.*

XII. 1. Alia eſt generalis providentia in omnes res hujus mundi. 2. Alia eſt providentia naturalis, & particularis in quemlibet hominem ſingillatim. 3. Alias eſt providentia ſupernaturalis in omnes homines, præſertim vero in juſtos. *Biroat pro quarta Quadrag. Dominica.*

XIII. Cum de providentia ſermo eſt, ita cæci ſumus; ut aliqui 1. Deo per impietatem negent regimen univerſorum; 2. Alii per infinitatem de illius ope diffidant; 3. Utrique offenſi ob ea, quæ præter ordinem in mundo occurrunt, audent improbare Dei providentiam, & conqueri de inæquali bonorum, malorumque vitæ hujus diſtributione. *Ex P. de la Rue in ſermonibus ſub ejus nomine editis.*

XIV. Tribus modis læditur providentia. 1. Per diffidentiam in neceſſitatibus, quibus premimur, & metum inanem, ne illa nobis deſit in iis, quæ ſunt neceſſaria. 2. Per murmur in adverſis, quæ accidunt nobis. 3. Per querimoniam, in quam erumpimus ob inæqualem bonorum hujus mundi diviſionem, ex qua nonnumquam ſcandali occaſionem arripimus: *Pene moti ſunt pedes mei pacem peccatorum videns. Deſumptum ex parte ex Domino de la Volpilliere de providentia.*

XV. In Evangelium de panum multiplicatione. 1. Efficit providentia, ut Deus miſereatur neceſſitatis, ad quam redactus eſt populus, qui illum in deſertum ſecutus fuerat: *Miſerebor ſuper turbam.* 2. Miſertus modum quærit illi opem ferendi: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* 3. Invento opem ferendi modo, hoc utitur, ut illis tribuat, unde ad ſaturitatem uſque veſcantur: *Manducaverunt, & ſaturati ſunt.* Hæc tria facit Dei filius opem laturus populo, qui ipſum ſecutus fuerat. *Ex Auctore Sermonum Chriſtianorum Sermone pro ſexta poſt Pentecoſten Dominica.*

XVI. 1. Infelicitas, & cæcitas eorum, qui contra Dei providentiam inſurgunt. 2. Sapientia & fidelitas eorum, qui in eadem confidunt. *Ex ſecundo Dictionarii moralis Sermone.*

XVII. In homine conſiderari poſſunt ratio, & fides. 1. Ratio, quæ palam oſtendit, adeſſe providentiam, debet conſequenter impellere hominem rationabilem, ut ſeſe illi ſubmittat futurus in hoc mundo beatus. 2. Fides, quæ de eadem eos dubitare non ſinit, cogit etiam hominem chriſtianum, ut ſe magis peculiariter illi ſubmittat, futurus in æternum beatus. *Ex ſpecimine Sermonum pro Quadrageſima.*

XVIII. 1. Divina providentia omnibus neceſſitatibus noſtris attenta eſt; hoc nos conſolari debet. 2. Cum patientia, & ſubmiſſione expectare debemus mandata illius: hoc de officiis noſtris erudire nos debet.

XIX. 1. Obligatio, qua tenemur confidentiam noſtram in Deo conſtituere pro rebus temporalibus, nequaquam nos eximit a rationabili cura de noſtris negotiis habenda. 2. Obligatio, qua debemus in Dei providentia pro animæ noſtræ ſalute confidere, nequaquam excuſat noſtram temeritatem, ac præſumptionem, niſi ipſi ſumma cum diligentia, ſollicitudine, ac metu incubuerimus ad hoc ſalutis noſtræ negotium.

XX. 1. In prima ſermonis parte fieri poteſt elogium Providentiæ, oſtendendo illius qualitates, applicationem omnibus generalibus, & particularibus neceſſitatibus; bona, quæ nobis procurat confidentia, quam in illa collocamus, quia nos ab anxiis liberat curis, quibus indeſinenter illi torquentur, qui in ſemetipſis tantum confidunt, & induſtria ſua, vel in hominum auxiliis. 2. In ſecunda vero parte fieri poteſt ejuſdem Providentiæ Apologia contra eos, qui illam impugnant, oſtendendo rationes, quibus alii eam conantur evertere, ineptas eſſe, & cenſuras, quibus politici quidam eam perſtringunt, temerarias eſſe, nullius ponderis, & inſanas; ac tandem aliorum obmurmurationes Deo infinite eſſe contomelioſas. *Ex P. Texier in Dominicalis.*

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Concionum ſtructuras exornandas.

SAnctus Auguſtinus *lib. 4. de Civ.* refert, & damnat Ethnicorum ſententiam de fato, & fortuna, quam veluti Deum venerabantur. Sancti Patres.

Idem *de Sermon. Domini* adfert cauſas, propter quas permittit Deus, ut juſti aliquando ad inopiam redigantur.

Idem *in Pſalm. 145.* oſtendit Dei Providentiam ad minima etiam ſe extendere.

Idem *lib. 1. de Ordine* eos improbat; qui in mundo injuſtitias, & mala eſſe queruntur, quamvis providentia de rebus omnibus diſponit.

Idem in expoſitione Pſalmi 39. in hæc verba: *Jacta ſuper Dominum curam tuam*, oſtendit, quam de nobis gerat curam providentia, & hoc ipſum præſtat in hæc verba Pſalmi 90. *Scapulis ſuis obumbrabit tibi.*

S. Gregorius in variis operum ſuorum locis loquitur de diverſis providentiæ proprietatibus. Videri poteſt quid ille dicat in libris 25. & 27. moralium in Job.

Idem lib. 16. eorumdem moralium probat id, quod in mundo inordinatum videtur, admirabili providentiæ ordine conſtitutum eſſe. In quinto reddit rationem, cur providentia patiatur impios in mundo, & in 18. fuſius verba facit de hujus providentiæ conſiliis.

S. Hieronymus in hæc verba cap. 1. Jeremiæ: *Dedi te in civitatem munitam, & in columnam ferream*, loquitur de peculiari cura, quam providentia gerit juſtorum.

S. Ambroſius lib. 1. Offic. cap. 13. eorum refellit errorem, qui tenent Deum nullam habere curam eorum, quæ in mundo fiunt.

Idem *in Hexam. lib. 5. cap.* 13. fuſius loquitur de providentiæ cura in omnia creata.

S. Paulinus in Epiſtola ad Jovem, eloquenter deſcribit, quomodo providentia rexit cœlorum motus, & quidquid eſt in Univerſo.

Minutius Felix in *Octavio* oſtendit providentiam, quæ in naturæ ordine effulget.

Lactantius pluribus in locis loquitur de providentia, præſertim vero lib. 3. cap. 19. & lib. 8. c. 1.

Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 16. oſtendit providentiæ curas in omnibus ſtatibus, in omnibus conditionibus, & generatim in omnibus rebus hujus mundi.

Boethius *lib. 5. de Conſolation. Philoſophiæ* explicat quid ſit res fortuita, & ait, coram Deo nihil eſſe fortuitum.

Origenes *in lib. Numerorum* docet, Deum in hoc mundo non permittere malum, niſi ut eveniat bonum, quod pluribus probat exemplis.

Idem loquitur etiam de providentia in Homilia prima in Geneſim.

S. Baſilius Homil. 7. in Pſalm. 39. in hæc verba: *Domine Deus meus clamavi ad te, & ſanaſti me*, oſtendit peculiarem curam, quam de juſtis gerit Deus.

S. Chryſoſtomus Homil. 23. in S. Matth. docet, ſecundum Jeſu Chriſti præceptum non eſſe, cur ſolliciti ſimus de rebus vitæ hujus, ſed in Dei providentia confidendum eſſe.

Idem tres edidit libros de providentia, qui ſunt in quinto operum ipſius tomo.

Salvianus Maſſilienſis Epiſcopus octo de providentia libros conſcripſit, ubi collegit quidquid hoc in argumento dici poteſt.

Theodoretus in tomo ſecundo, aliiſque operum ſuorum locis.

S. Bernardus ſerm. 2. & 4. in Pſalmum *Qui habitat &c.* loquitur de providentia erga Juſtos, & in ſermone 68. in Cantica oſtendit Dei providentiam in eccleſia.

Granatenſis in Duce peccatorum cap. 12. & lib. 1. Catechiſmi ſui. Aſcetici aliiſque.

Leſſius tractatum edidit de providentia, quem Gallice reddidit, atque interpretatus eſt P. Maucorps in libro,

libro, cui titulus: *Diſcours des incomparables perfections de Dieu.*

P. Cauſſinus in Aula Sancta effato 4.

Liber, cui titulus: Duo fundamentalia ſalutis principia decerpta ex operibus Leſſii a Patre Antonio Girard: eorum primum eſt veritas Dei unius, & providentiæ ejuſdem.

P. Ludovicus Franciſcus de Argentano in collationibus ſuis de Magnalibus Dei collatione 16.

P. Guilleminot in libro, qui inſcribitur: Sapientia Chriſtiana cap. 3.

P. Didacus Alvares e S. Dominici familia cap. 12. *de Auxilio Dei* late differit de providentia Dei erga bonos.

Liber, cui titulus: Animadverſiones in varia religionis, Ethicæque argumenta tomo 3.

P. Du Sault in libro de confidentia in Deo aliquot habet capita de providentia.

P. Poire in libro, qui inſcribitur: Scientia Sanctorum, amplum habet de providentia tractatum.

P. Nepveu in tomo 1. chriſtianarum conſiderationum loquitur de confidentia in Deo.

P. Surin in Dialogis Aſceticis tom. 1. lib. 3. cap. 5. ubi agit de conformitate cum voluntate Dei.

Rainerius de Piſis in Pantheologia titulo *Providentia.*

Quicumque ſcripſere contra Atheos, totidem fuere providentiæ patroni.

Moralis in Pater lib. 1. ſect. 2. art. 6.

Hortus Paſtorum tract. 2.

Liber, qui inſcribitur: Tractatus moralis de divina providentia erga creaturas, ſine nomine auctoris.

P. Delingendes in ſermone de conformitate cum voluntate Dei plurima habet de providentia.

Biroat ſermone pro 4. Quadrageſimæ Dominica.

P. Texier in Dominicali ſerm. pro eadem Domin.

P. Bourdalove in antiquis ſermonibus ſub ejus nomine editis pro Dominica eadem.

Idem in novis, & veris ſerm. ſuis, ſermone pro die eadem.

P. De la Rue ſermone in eamdem diem.

Specimen Ethicum tomo 7. in Evangelium Dominicæ 4. in Quadrageſima.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta, ſermone de particulari providentia erga juſtos pro Dominica 4. Quadrageſimæ.

Idem de providentia generatim ſermone pro Dominica 6. poſt Pentecoſten.

De la Volpilliere.

Auctor ſermonum chriſtian. pro 6. poſt Pentecoſten Dominica.

In Dictionario morali duo ſunt ſermones deinceps, & plures conſiderationes in hoc argumentum, & alius adhuc ſermo inter ſermones morales auctoris ejuſdem.

In ſpecimine ſermonum pro Quadrageſim. tres ſunt hujus argumenti ſermones, & unus in ſpecimine pro Dominicis.

Granatenſis in locis communibus.

Labatha in Theſauro)
Lohner) Titulo: *Dei providentia.*
Summa Prædicantium)

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Pſ. 22.

Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. Pſalm. 54.

Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Pſalm. 90.

Omnia a te expectant, ut des illis eſcam in tempore, Pſalm. 103.

Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Ibid.

Ne dicas: Non eſt providentia: ne forte iratus Deus contra ſermones tuos, diſſipet cuncta opera manuum tuarum. Eccleſ. 5.

Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti, Sap. 11.

Cum ſis juſtus, juſte omnia diſponis. Sap. 12.

Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. Sap. 6.

Attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. Sap. 8.

Non eſt alius Deus quam tu, cui cura eſt de omnibus, Sapient. 12.

Cum magna reverentia diſponit nos, Ibid.

Tua autem, Pater, providentia (cuncta) gubernat. Sapient. 14.

Altiora te ne quæſieris: non eſt enim tibi neceſſarium ea, quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis. Eccli. 3.

Nubes latibulum ejus, (ajunt impii.) *Non noſtra conſiderat, & circa cardines cœli ambulat.* Jobi 22.

Dixerunt (impii) Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt. Ezech. 9.

Quis præparat corvo eſcam ſuam, quando pulli ejus clamant ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos? Job cap. 38.

Vos qui dereliquiſtis Dominum, qui obliti eſtis montem ſanctum meum, qui ponitis Fortunæ menſam, & libatis ſuper eam. Iſaiæ 65.

Omnes viæ tuæ paratæ ſunt, & tua judicia in tua providentia poſuiſti. Judith. 9.

Ego cognovi te in deſerto, in terra ſolitudinis. Oſee 13.

Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Matth. 6.

Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini: nonne anima plus eſt quam eſca, & corpus plus quam veſtimentum? Ibid.

Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater veſter cœleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis? Ibid.

Si fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quanto magis vos modicæ fidei? Ibidem.

Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum, craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi. Ibidem.

Nonne duo paſſeres aſſe veneunt: & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro? Matth. 10.

Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt: multis paſſeribus meliores eſtis vos. Ibid.

Conſiderate corvos, quia non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cellarium, neque horreum, & Deus paſcit illos. Luc. 12.

Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. 1. Petri c. 3.

Veteris, Novique Teſtamenti Exempla.

QUin immoremur eam conſiderantes rationem qua Providentia in mundi politici regimine uſa eſt, & modum, quo eum ſervavit ordinem, quem ipſa in univerſo conſtituit, iſtic afferemus exempla inſigniora peculiaris ejus curæ, qua hominibus juſtis proſpexit.

Exemplum providentiæ erga Noe diluviano tempore.

Vetuſtiſſimum, celeberrimumque Providentiæ miraculum illud eſt, quod in gratiam Patriarchæ Noe operata eſt, cujus elogium Spiritus ſanctus contexuit. Cum nefaria ſcelera, quæ paſſim graſſabantur in terra, Dei quidem patientiam fatigaviſſent, juſtitiam vero irritaſſent, Creator hominum iniit conſilium delendi opus ſuum, atque univerſali cataclyſmo homines ſimul, & animantia, quæ vivebant in terris, obruendi. Cum autem tot inter ſontes unus inveniretur juſtus Noe, hic electus fuit humani generis reparator, juſſus a Deo Arcam ædificare, ut illius ſervaret reliquias ad ejus tantummodo familiam redigendas. Si maxime terribilis fuit divinæ Juſtitiæ effectus, qui ad illud uſque tempus viſus fuerit, terram univerſam hoc pacto inundare, dicere quoque poſſumus, providentiam nunquam magis enituiſſe, quam juſto Noe præſcribentem modum, quo ſe, ſuoſque ab univerſali eriperet naufragio, eique tempus præbentem Arcæ extruendæ, quæ caperet eos paucos homines, atque animalia, quæ iterum totum terrarum orbem fœtibus erant repletura, atque ſingillatim tradentem dimenſionem, diviſionem, diviſioneſque diverſorum conclavium Arcæ ejuſdem, ac eas diſtinguentem animalium ſpecies, quæ illuc erant ingreſſura ... Deinde vero quanam cura providentia deduxit navim hanc, quæ fluctuabat ſine ullo nauta, a quo regeretur, dum interim reliqui mortales, qui in ludibrium ſibi verterant labores, & præcautiones Noe, hoc diluvio abſorpti fuerunt.

Exemplum providentiæ erga Moyſem.

Conſideremus in Exodo parvulum Moyſem Nili fluctibus innatantem, vimineis impoſitum incunabulis, & aquarum arbitrio traditum. Hoc unum ex illis objectis eſt, ex quibus providentiæ miracula melius intelligimus. Pueri mater hominum furorem metuens illum forti reliquerat: ſoror adhuc eminus illum proſpiciebat intuitura, quid illic accideret; ſed nil ejus infirmitas conari poterat, ut illum præſenti periculo liberaret. Interim Deus fit parvulæ hujus ſcaphæ nauta, & ecce quomodo puerum incolumem ſervat providentia. Utitur hæc ejuſdem Pharaonis filia, quæ ſecus fluminis oram deambulans miſeratione ducta pueri quem fortuito adſpexit, illum ad ſe juſſit adferri. O admirabile providentiæ conſilium! dedit infantem hunc alen-

alendum matri, a qua in lucem editus fuerat, & quam ſoror ejus, quæ, cum non procul abeſſet, accerſivit. Regina deinde adoptavit, atque in ædibus ſuis enutriri juſſit illum, qui, quidquid Pharao adniteretur, affecturus erat, ut omnia primogenita Ægypti occidione delerentur, & deinde ipſe Pharao cum toto exercitu Ærythræi maris fluctibus ſubmergeretur.

Exemplum providentiæ erga Abrah.

Inter Sancti Patriarchæ Abraham virtutes principem, & fontem omnium benedictionum, quas Deus in illum, omnemque illius poſteritatem effudit, jure affirmare poſſumus fuiſſe ſubmiſſionem divinæ providentiæ mandatis; quod ipſum totus vitæ ejuſdem decurſus liquido oſtendit. Statim quidem huic viro diviti, & qui in patria ſua magni nominis erat, præcepit, ut in ignotam terram, quam nonniſi tanquam exilium poterat conſiderare; coegitque hominem hunc, qui pacatum domi vitam vivebat, ut longi itineris laborem ſuſciperet, quin quid eventurum eſſet cognoſceret. Vult denique Deus hominem omni bonorum genere affluentem repente pauperem fieri illi promittendo futuras opes, quarum nonniſi imaginem, ac ſpem animo concipere poterat. Neque illi ſignanter præſcriptus fuit locus, quo eſſet iturus; juſſus fuit dumtaxat exire, omnia relinquere, omnino confidere in Deo, atque futura omnia eidem committere. Quiſnam poſſet, S. Aug. ait, hujuſmodi cedere imperio, quin vivam haberet fidem, ſtabilemque in hac divina providentia confidentiam? Attamen ſanctus hic vir non hæret, huic reſpondet imperio illud ſtatim exequens: rebus omnibus oculos claudit, præterquam Deo, quam unice tanquam ducem ſequitur: ita videmus in Scripturis, quomodo illius curam geſſit providentia, quæ effecit, ut ille plura iis, quæ reliquerat, inveniret. Eadem paternæ hujus providentiæ cura animadverti poteſt erga ſanctum hunc Patriarcham in reliquis omnibus actionibus, & eventibus, in quibus ſemper fuit ſubmiſſionis divinis imperiis exemplum.

Exemplum providentiæ erga Iſaac, & Jacob.

Iſaac, qui providentiæ filius appellari poteſt, perfecte hac in re patris ſui virtutem imitatus eſt, ideoque eoſdem etiam expertus eſt effectus, quos operoſum nimis eſſet referre .... Sed dicere poſſumus, amantiſſimæ hujus providentiæ curam magis adhuc erga Jacob filium ejus enituiſſe. Non ſine peculiari Dei numine, atque conſilio factum eſt, quod hic minor natu paternam benedictionem reciperet de primogeniti jure dejecto Eſau, qui major erat natu; neque poteſt aliquis conſiderare quomodo hoc acciderit, quin divinam admiretur providentiam, quæ ita diſpoſuit. Ejus egreſſio de paterna domo, patientia, diuturni labores illius, opera, quam ille præſtitit Labano ſocero ſuo reditus in patriam; verbo, omnes vitæ ipſius caſus aliquibus divinæ erga ipſum providentiæ veſtigiis connotati ſunt; & plerique Sancti Patres credunt, myſticam ſcalam, quam vidit in ſomnis, ſymbolum fuiſſe eorum, quæ deinceps in perſona illius erant adimplendam, & imaginem providentiæ, quæ noverat a terra ad cœlum uſque attingere, ac univerſa ſapientiſſime moderari. Apparuit illi Deus in ſcalæ hujus vertice, ut oſtenderet, unum ipſum, abſolutamque ipſius voluntatem eſſe primam cauſam, & quodammodo primum mobile eorum, quæ fiebant. Angeli aſcendentes, atque deſcendentes deſignabant abſolutam poteſtatem, quam in omnia creata Deus habet, & quomodo noverit deducere inferiora per ea, quæ illis ſunt ſuperiora. Diverſi illi gradus connotabant etiam divina providentiæ inſtrumenta, quæ efficiunt veluti divinam quandam catenam, cujus cavendum eſt, ut ne unus quidem infringatur annulus, quoniam per hanc ſeriem mediorum a Deo ordinatorum alii quidem attolluntur, alii vero deprimuntur.

Exemplum providentiæ erga Joſeph.

Joſeph in graviſſimis, quibus premebatur, perſecutionibus adoravit providentiam affligentem ſe, ac tandem vidit ejus myſterii explicationem, cui ſubdiderat quin illud vellet penetrare. Nunquam fortaſſe melius eluxit omnipotens hujus providentiæ conſilium, ut quod contendebat, evinceret uſa illorum ipſorum oppoſitione, qui ſibi adverſabantur. Qui illum vidiſſet a propriis fratribus ad necem conquiſitum, quos miſerationis reliquiæ de ſuſcepta mortis illi inferendæ ſententia deterruerunt ſuadentes, ut illum potius veluti mancipium venundarent. Qui illum vidiſſet falſo de teterrimis criminibus accuſatum, atque in horrentem carcerem detruſum, crediſſetne hanc viam eſſe, per quam ad ſublimem fortunæ apicem erat perventurus? Tuum tantum eſt, o Domine, myſticas ingredi vias, ut eos, quos deprimis, attollas. Hæc ſecreta ſunt, quæ, ut olim Joſeph, adorare debemus.

Exemplum providentiæ in David.

Sanctus Rex David proculdubio inter inſignia numerandus eſt exempla, per quæ providentia oſtendit, qua ratione utatur, ut quod propoſuit, eveniat. Satis eſt cogitare, quomodo ad regni ſolium humilem paſtorem evexerit. Victoria, quam de Goliath reportavit, primus fuit ad coronam gradus; per illam enim ingreſſus eſt in familiam Saul, ejuſque filiam uxorem duxit. Deinde providentia eadem, quæ ipſum adeo ſublimi honori deſtinaverat, illi patrocinata eſt contra invidiam, & odium Saul, qui infenſiſſime illum perſequebatur. Poſtquam vero factus fuit Rex potens, ac præclaris rebus geſtis magnam nominis gloriam fuit adeptus, proprii filii rebellione oppreſſus fuiſſet, niſi hæc eadem illi opem tuliſſet providentia, quæ diſſipavit conſilium, quod Achitophel præbuerat, & quæ illi victoriam acquiſivit. Sed quemadmodum providentia nunquam Sanctum Regem hunc dereliquit, ita hic fuit diſertiſſimus providentiæ encomiaſtes. Omnes illius Pſalmi repleti ſunt laudibus, quibus illam celebrat: & illos ideo conſcripſit, ut omnes excitaret homines ad confidentiam ſuam in Dei providentia collocandam poſtquam toties validiſſima ejus auxilia experti ſunt.

Providentiæ exemplum in duobus Tobiis patre, & Filio.

Peculiaris cura, quam providentia ſuſcepit de utroque Tobia, patre ſcilicet ac filio, in ſermone de providentia prætereunda non eſt. Nemo erat in terra juſtior Tobia, qui, Scriptura teſte, in ipſa infantia omnem conſummatæ virilitatis maturitatem habebat. In captivitate ſemper fidelis veri Dei cultui adhæſit; & dum cæteri ſeſe rapi ſinebant torrente conſuetudinis, & exempli, ut ad vitulos aureos adorandos ſeſe conferrent; ille contribulibus ſuis egenis ferebat opem, mortuis parentabat, atque omnibus bonis operibus vacabat. Non fugit, qua cura Dei providentia illius incolumitati ſtuduerit, & quomodo tandem illum affligtari paſſa eſt, ut virtus ejus magis eluceſceret. Seſe etiam in filium ejus extendit paternæ ſanctitatis imitatorem, cui data opera Angelum miſit longi itineris, quod neceſſario ingreſſurus erat, ducem, & præſidium in omnibus periculis, quæ illi ingruerunt. Angelus autem cum eum ſoſpitem, atque beneficiis cumulatum in patriam reduxiſſet, tandem prodidit ſe unum eſſe ex Spiritibus cœleſtibus, qui adſtant ante thronum Dei, a Deo unice miſſum, ut illius gereret curam, patremque ſimul ac filium alta reliquit admiratione demerſos, ac ſummam Dei erga ſe bonitatem laudantes.

Exemplum providentiæ erga Mardochæum.

Quot videmus caſus divina diſponente providentia in gratiam bonorum in eadem confidentium accidere? Aman cædem, exitiumque Mardochæo minitatur; jamque crucem paravit, de qua ille ſuſpenderetur; neque aliquid ipſum moratur præter Aſſueri conſenſum, quem ſe tenet certo conſecuturum. Sed providentia innocentiæ incolumitati invigilat; permittit Deus regem hunc per noctem ſomnum capere non poſſe; imperare, ut ſibi earum rerum, quæ a regni ſui primordiis acciderunt, monumenta legantur; ac forte incidere in conjurationem quamdam, qua prope fuit, ut ex regni ſolio, & viventium numero exturbaretur, niſi a Mardochæo certior factus fuiſſet; inde ſciſcitari quodnam viro huic pro tantis in Regem meritis collatum fuerit beneficium; & nullam illi gratiam relatam fuiſſe, cognoſcere. Hiſtoriæ ſeriem noſtis, eas tantum reputate circumſtantias, quas memoravi: nonne in regis vigilia, in annalium lectione, in conjurationis hujus occurſu, in curioſitatis, animique grati ſenſu palam viſibilis providentiæ, quæ vitæ Mardochæi curam gerebat, conſilia deprehenditis?

Alia miraculoſa providentiæ exempla erga eos, quos diligit Deus.

Quamvis ea in ope, quam Deus amicis ſuis tribuit, ille vulgo communem dumtaxat ſuam potentiam adhibeat cauſas ita diſponens, ut effectus ſint naturales: attamen providentia non pepercit miraculis, ubi neceſſaria fuerunt; quemadmodum egit cum Elia Propheta, quem aluit corvi miniſterio quotidie eſcam afferentis in ſpecu, quo ille ad evitandam perſecutionem Achab ſe contulerat. Miraculo pariter uſa eſt erga Danielem ad quem cibum miſit, cum in lacu leonum detineretur, per Prophetam Habacuc, qui per capitis crines apprehenſus repente illuc, ubi Daniel erat, translatus fuit. Sed inter cætera providentiæ miracula illud omnium maxime adorabile fuit, quo quadraginta annos manna cibavit populum Dei in deſerto, miraculo adhuc magis inſigni eductum de Ægypti captivitate. Cibus hic quotidie de cœlo labebatur, eumque populo ſuo diſtribuebat Deus, prout ille indigebat; quod adeo perfectam illi contulit valetudinem, ut Sacer Textus in tribubus eorum nullum fuiſſe infirmum affirmet. Illud vero adhuc erat admirabilius, quod eſca illa quantumvis ſimplex, præclariſſimas tamen habebat qualitates, & ſe guſtui ſingulorum accommodabat.

Providentia enituit in multiplicatione panum a Deo facta.

In novo teſtamento præcepta ſimul habemus, quæ Salvator irrogavit, & exempla, quæ præbuit ejus confidentiæ, quam in providentia conſtituere debemus. Præcepta explicita ſunt c. 6. S. Matthæi, quod ferme totum hujus eſt argumenti, & c. 12. S. Lucæ, Illuſtria vero

vero nobis dedit exempla duplici præſertim in occaſione per multiplicationem paucorum panum, & aliquot piſcium, quibus innumeram aluit populi multitudinem hominum circiter quinque millium, qui illum ſecuti fuerant in deſertum ſine ullo commeatu, ac ſine ulla ſpe, ſed tamen ſine impatientia, & ſollicitudine, quod poſt tres itineris dies ſe rerum omnium egenos conſpicerent. Salvator ſe eorum misereri teſtatus eſt, & credidit, inclementer ſe facturum eſſe, ſi illos ſine ope relinqueret, & negligeret alere eos, quorum egeſtatis erat cauſa. Quamobrem, poſtquam illos eo redegit, ut omnipotentiæ ſuæ ope omnino indigerent, concludit S. Auguſtinus, ſi opus clementiæ fuit in Salvatore ita multiplicare quinque panes, ut quinque hominum millia ſaturarentur, fuiſſe quoque actum juſtitiæ debitum populo, qui illum ſecutus fuerat, & juſtificationem providentiæ ſuæ, ac præſertim probationem, qua omnibus fidelibus oſtendere tenebatur fieri non poſſe, ut aliquis deſeratur, qui in omnibus neceſſitatibus ſuis in illa confiderit.

Confidentia in providentia quam habuit S. Joſeph ſponſus S. Virginis.

S. Joſeph egregium eſt exemplar ejus confidentiæ, quæ in providentia divina collocanda eſt. Angelus ſancto huic viro in ſomnis apparuit, ac Dei voce præcepit illi, ut cum Jeſu, & Maria in Ægyptum aufugeret. Omnia Joſepho perſuadebant in Judæa permanſionem; res ſua, ſtudium, cognati, amici, requies, neceſſitas, & facilitas victus ſibi comparandi, totidem erant vincula, quæ illum retinebant; e contra vero omnia illum ab hoc itinere deterrere videbantur, viæ longitudo, inopia, & neceſſitas, in qua erat omnium vitæ commodorum, quippe qui nullum habebat viaticum, nullum commeatum, ac incertitudo, ubi itineris tempore diverſaretur, & unde victum ſibi compararet, cum ad itineris terminum perveniſſet. Hos omnes perfregit obices, quin hæreret, quin vel unum momentum cunctaretur, illius fretus auxilio, a quo iter ſuſcipere jubebatur.

Providentia Salvatoris erga Apoſtolos & Apoſtolorū confidentia in eadem.

In Evangelio non alia deſunt exempla, neque occaſiones aliæ, ubi Salvator in terris vivens viſibili, & miraculoſo modo egeſtatibus hominum conſuluerit; ſed cum Apoſtolis ſuis hoc magis efficaci, licet occulto, egit modo; quia cum illos ſine pecunia, & commeatu miſiſſet ad erudiendos civitatum, & oppidorum Judææ populos, interrogavit eos, utrum aliquid ipſis defuiſſet; & nihil a ſe unquam deſideratum fuiſſe palam teſtati ſunt; quod fieri non potuit ſine peculiari providentia, quæ curam ſuſcepit illis ſuppeditandi, quidquid ad victum erat neceſſarium. Poſt Salvatoris mortem Apoſtoli, & diſcipuli ejus longe apertiſſimos providentiæ effectus experti ſunt; quippe qui in extremas terrarum penetrarunt oras, atque ſemper inter barbaras nationes verſati ſunt quavis ope humana deſtituti. Satis eſt autem adhibere S. Paulo ſuos enarranti labores, ea, quæ ſubiit, pericula, perſecutiones, quas paſſus eſt, atque omnis humani auxilii carentiam ut ſtatim judicium ferre poſſimus, niſi confidentia in providentia divina illi fuiſſet opitulata, eum millies fuiſſe moriturum. Hoc ipſum de aliis Apoſtolis dicendum eſt.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Divinæ providentiæ de nobis conſilia nos modo latent, aliquando nobis a Deo detegenda.

Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea. Jo: 13. Certi eſſe debemus, nos a Deo deduci, nobiſque eum in iis rebus omnibus, quæ accidunt, dicere, quod olim Jeſus Chriſtus Petro, cui pedes erat abluturus: *Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea.* Hi morbi, hæ calamitates, hæ perſecutiones vobis ad interitum eſſe videntur: *Tu neſcis modo*, Quomodo hoc ſcis, & quiſnam hoc dixit tibi? Hoc fortaſſe te redegit Deus, ut inde beatior emergeres: *Scies autem poſtea.* Hæ injuſtitiæ, quæ tecum exercitæ fuere hæ calumniæ, quibus obrutus fuiſti, hæc oblivio, hic contemptus, in quo haberis, illata tibi videtur contumelia; *Tu neſcis modo.* Hæc tamen Joſepho tutiſſima fuit ad ſublimem fortunam via; tibi autem erit? *Scies autem poſtea.* Licet hæc omnia pro præſenti fortuna nihil eſſent, quid erunt tibi pro æternitate? Hoc non intelligis modo, Anima chriſtiana, ſed intelliges aliquando, cum revelabit Deus providentiæ ſuæ ſecreta, atque manifeſtabit conſilia, per quæ te ad finem, quo cupiebat, perduxit.

Terrenarum rerum anxia cura inexcuſabilis eſt homini Chriſtiano.

Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini. Matth. 6. Non cura, ſed nimis anxia cura interdicitur. Hæc ſollicitudo in infidelibus toleratur, ſed in Chriſtianis inexcuſabilis eſt; ſibi fidem, atque confidentiam adeſſe teſtatur, qui his in rebus immodicis ſeſe timoribus torquet; at nonne hic quodammodo fit infidelis? Nihil hac ſollicitudine iniquius eſt; ad quam avertendam validiſſimæ rationes nobis ab eodem Jeſu Chriſto afferuntur. Deus, inquit ille, Pater veſter eſt, & Pater veſter cœleſtis, atque novit, quibus rebus indigeatis. Si ergo novit veſtras neceſſitates, nequaquam credere debetis, illis minime opem ferre, quod eaſdem ignoret. Si Pater veſter eſt, & Patrum omnium optimus, licetne vos de illius bonitate, & cura erga voſmetipſos diffidere?

Sollicitudo pro vitæ hujus bonis Ethnicorum eſt & idololatrarum.

Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis. Matth. 6. Dei filius nos admonet, quod pro vitæ hujus neceſſitatibus torqueri eſt Ethnicos imitari, qui providentiam ignorantes, neque alia, niſi hæc præſentia, cognoſcentes bona, potiori jure illa conſectantur. Poſtquam vero hanc nobis ſeveritate, atque acrimonia plenam exprobrationem attulit, ut nos ex hoc ſopore excitet, atque ſalutarem imprimat verecundiam nos Ethnicis comparans, conſolatur nos dicens Deum eſſe patrem noſtrum, eumque ſcire, quibus rebus indigeamus: *Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.* Hoc ſane mentibus noſtris omnem afferre debet tranquillitatem, noſque cogere, ut omnes illi curas permittamus tanquam filii, qui nequaquam laborant, ubi victum, atque veſtimenta comparent ſibi, unice in parentibus ſuis confidentiam omnem conſtituentes. Deus qui omnia moderatur. Pater noſter eſt, ſed pater æque bonus, ac potens, qui videt, quidquid in terris fit, & perfecte novit, quibus indigeamus.

Quænam ſit utilitas in Deo confidendum.

Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. 1. Pet i 5. Hoc ſane multum eſt, velle hominem, qui, ſexcentis neceſſitatibus premitur, qui litibus urgetur, qui inimicorum caterva ſeptus, & filiorum alendorum corona circumdatus eſt, velle inquam, hunc omnem abjicere ſollicitudinem: *Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes.* Quid autem promittit Deus, ut hoc a nobis obtineat? Multum profecto promittit, videlicet ipſum noſtri curam habiturum: *Quoniam ſibi cura eſt de vobis.* Hoc ſane multum eſt, atque infinitum faciemus quæſtum, cum omnes cæci, infirmi, miſerique hominis curas abjiciemus, ut mereamur curam Dei, qui infinite perſpicax eſt, atque omnipotens, ut nobis ferat auxilium: etenim quamvis Deus rerum omnium curam gerat, atque generalis illius providentia ſeſe in omnes late extendat, hic de peculiari agitur cura, deque peculiari applicatione, quam Deus juſtis pollicetur.

Nihil in hoc mundo accidit, quod Deus minime velit, atque permittat.

Quis eſt iſte, qui dixit, ut fieret, Domino non jubente? Quis audet dicere, aliquid injuſſu Dei contingere poſſe? In iis, quæ nobis accidunt, malis nequaquam ſuccenſere debemus, vel fortunæ, vel imprudentiæ, vel pravæ hominum voluntati: ſed illa accepta referenda ſunt uni Deo omnia ſecundum providentiæ ſuæ ordinem diſponenti, atque moderanti; ita ut nihil in mundo conſiderare debeamus præter Deum, & nos. Hoc eſt fundamentum confidentiæ, quæ in Dei providentia habenda eſt. Ita quidquid peccatum non eſt, hoc Deus non permittit ſolum, ſed vult. Permittit crimen hominis, a quo affligimur, & injuſte agitamur non quod actionis improbitatem velit; ſed hoc eſt inſtrumentum, quo utitur providentia, ut noſtri periculum faciat, vel ut nos puniat. Quamobrem ſi quis de iis queritur malis, quæ ſibi ingruunt, de Deo, deque hujus providentia proprie conqueritur. Noli reſpicere Semei tibi convicia ingerentem, vel te afficientem contumelia, ſed Deum per Semei te humiliantem. Ne reſpicias Abſalonem, qui perſequitur David, ſed Deum per Abſalonem in David animadvertentem.

Flagella Domini, quibus quaſi ſervi corripimur, ad emendationem, non ad perditionem noſtram eveniſſe credamus. Judith. 8. His verbis prudens, ac virtute prædita Judith Bethuliæ cives conſolabatur ea in obſidione, qua jampridem premebantur: credamus, ajebat illa, hæc mala, quæ patimur nobis, ad correptionem, non autem ad interitum miſſa fuiſſe. Et profecto hæc veritas eſt, de qua nobis perſuaſum eſſe debet, ea omnia, quæ providentiæ juſſu hac in vita nobis accidunt ad noſtram accedere utilitatem, ſeu in gratiæ, ſeu in peccati ſtatu verſemur. Unicum culpa malum excipiendum eſt; at ſi peccatores intereunt, atque damnantur: hæc pœna in eorum utilitatem non cedit; ſed donec in hac vita ſumus, omnia pœnæ mala a Deo ad noſtram mittuntur utilitatem: permittit etiam nonnunquam Deus, ut in peccatum labamur, non quod nos labi velit, ſed labi ſinit, ut humiliores fiamus.

Neceſſitas nos cogit, ut noſmet providentiæ ſubjiciamus.

In ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit tuæ voluntati reſiſtere. Epheſ. 13. Neceſſitas eſt, noſmet adorabilibus hujus providentiæ imperiis ſubjicere; velis enim, nolis, id fiet, quod Dominus voluerit. Præſtat igitur nos leniter duci, quam vi trahi. Ita eſt, S. Aug. inquit, extra omnem dubitationis aleam ſitum eſt, quod creatura velit, nolit, Creatoris ſequitur voluntatem; ſi hanc ultro ſequatur, munere ſuo perfungitur id faciens, quod debet; ſin autem reſiſtat, eamque ſequi detrectet, ipſa tamen invita facit, quod ultro facere deberet; quia Dei voluntatem exequimur etiam ab ea recedendo. Hinc S. Aug. duo iſta diſtinguit, ordinem providentiæ, & ejuſdem providentiæ ordine retineri. Poteſt quilibet ordinem hunc non ſervare, vel ſeſe eidem non ſubmittere, hoc enim cuilibet integrum eſt; ſed nemo hunc fugere poteſt ordinem, neque enim in nobis poſitum eſt evitare, vel pati, quod ut nobis eveniret, decrevit Deus. Hinc videtis, neceſſario nos quoquo modo providentiæ eſſe ſubjectos.

Præſtantiſſima ratio parendi Deo eſt noſmet providentiæ ipſius imperiis ſubjicere.

Fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo, & in terra Matth. 6. Si bene perpendimus vincula, quibus creatura Creatori adhæret: ſi rite conſideremus nos ſervos illius eſſe, & ipſum Dominum noſtrum; ipſum Regem eſſe noſtrum, & nos ſubditos ejus; ipſum Patrem noſtrum eſſe, nos autem filios ipſius, facile intelligemus opus eſſe, ut eidem obtemperemus. Hæc autem obligatio nequaquam in eo tantum poſita eſt, ut illius mandata exequamur, neque illa violemus; ſed præterea ut voluntati illius ſubjecti ſimus, neque providentiæ ejuſdem nutibus obſiſtamus, quæ eſt quædam veluti generalis, habitualis, & conſtans obedientia, quæ ſe extendit ad ea omnia, quæ Deus vult, & jubet: & quemadmodum nihil jubet, quod minime velit, vel non permittat, nos ideo illi in omnibus, omnibuſque momentis obtemperare poſſumus. E contra vero cum illi reſiſtimus, quotuplici inobedientiæ crimine alligamur, tot ſane, quot ipſe habet jura, præcipiendi, imperandi, ac obedientiam exigendi.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Sic (Deus) unumquemque noſtrum tanquam ſolum curat, & ſic omnes, tanquam ſingulos. Auguſt. lib. 3. confeſſ. cap. 11.

Nulla creatura eſt, quæ non, velit nolit, divinæ Providentiæ ſerviat. Idem in Expoſ. Epiſt. ad Galat.

Tu Dei ſervo, tu bonis operibus dedito aliquid exiſtimas defuturum? unde tam incredula cogitatio? quid facit in domo Domini perfidum pectus? Idem.

Conſtanter Deo crede, eique te totum committe, quantum potes: nihil enim tibi evenire permittit, niſi quod tibi proſit, etiamſi neſcias. Idem in Soliloq. cap. 15.

Projice te in eum, non ſe ſubtrahet (Deus) ut cadas; quid timet hominem homo in ſinu Dei poſitus? quidquid ibi paſſus fuerit, ad ſalutem valebit, non ad perniciem. Idem, lib. 2. confeſſ. c. 11.

Si Dei Providentia non præſidet rebus humanis, nihil de Religione ſatagendum. Idem, lib. de utilit. credendi.

Non in toto corde confitetur Deo, qui de Providentia ejus in aliquo dubitat. Idem in Pſ. 9.

Quidquid hic accidit contra voluntatem noſtram, noveris non accidere niſi de voluntate Dei, de Providentia ipſius, de ordine ipſius, de nutu ipſius, de legibus ipſius. Idem, in Pſ. 148.

Sit homo qui eſſe debet, mox ei addentur omnia per quem facta ſunt omnia. Hieron. in c. 6. Matth.

De divina miſeratione tunc ſperandum amplius eſt, cum præſidia humana defecerint. Ambroſ. in Exam.

Mundi unus eſt rector, qui univerſa quæ ſunt verbo jubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat. Cyprian. Serm. quod Idola non ſint Deus.

Deus in omnia ſufficit, nec poteſt eſſe perſpicaciæ prævaricator. Tertullian.

Tam nemo Pater, (quam Deus.) Idem, lib. de Pœn.

Quis coercente in ordinem cuncta Deo, locus eſſe temeritatis reliquus poteſt? Boet. lib. 5. de conſol. proſ. 1.

Miro modo fit, ut quod ſine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non ſit, quia ejus conſilio militant etiam, quæ ejus conſilio repugnant. Greg. lib. 6. Moral.

Quis tam furioſus, ut cum Dominum Creatorem omnium non neget, gubernatorem neget? & cum authorem eſſe fateatur, dicat negligere quæ fecit? Id.

Intenta eſt mihi illa majeſtas, cui gubernatio pariter, & adminiſtratio univerſitatis incumbit, & cura ſæculorum. Bernard. ſerm. 46. in Cant.

Sicut plus eſt Deus, quam omnis humana ratio; ſic mihi plus videri debet, quod a Deo cuncta agi cognoſco. Salvian. contra gentes.

Quod ſi melius geruntur ea quæ conſilio, quam quæ ſine conſilio geruntur, nihil omnium rerum melius quam omnis mundus adminiſtratur, conſilio igitur mundus adminiſtratur. Cicero, lib. 2. de Invent.

Cura tua cura hominis eſt: Deo autem de omnibus cura eſt; noli tu de tuis curare, ne Deus de illis minus provideat. Chryſoſtom. Homil. ſup. Matthæum.

In Dei adminiſtratione, multa a nobis niſi in obſcuris ænigmatibus perſpici nequeunt: ſive hac ratione arrogantiam noſtram coercere velit, ſive nos ad æterna revocare. Greg. Nazianz. orat. 17. poſt reconcil.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus hoc in argumento depromi poſſit.

Providentiæ definitio.

RAtio, rectus ſenſus, & fides nos docent, adeſſe providentiam, quæ univerſa hæc moderatur. Verum quid hæc eſt providentia? Theologi cum eccleſiæ Patribus trifariam illam definiunt. 1. Dicunt cum Boethio lib. 4. de Conſol. Proſa 6. *Providentia eſt divina ratio in ſummo omnium Principe conſtituta, quæ cuncta diſponit*; hoc eſt, quemadmodum ſtrictius, & clarius a S. Thom. 1. p. q. 22. art. 1. explicatur: *Eſt ratio ordinis rerum omnium in finem, in Deo exiſtens.* Ratio eſt, per quam Deus cum ordine omnia ad finem perducit. 2. Cum S. Jo: Damaſc. lib. 2. Fid. cap. 29. *Eſt voluntas Dei, per quam omnia, quæ ſunt, convenientem gubernationem accipiunt.* 3. Et addunt cum S. Thoma virtutem eſſe operantem, omniaque ad finem impellentem. Ratio eſt ordinis, hæc illius ſapientia eſt: voluntas benefica, hæc illius bonitas: virtus operativa, hæc ejus eſt omnipotentia. Tres iſtæ adorabiles perfectiones ad creaturarum, quas produxit Deus, utilitatem applicatæ, id efficiunt, quod providentiam vocamus.

Providentia alia naturalis eſt, alia ſupernaturalis.

Quemadmodum duo ſunt fines generales, ad quos creata deſtinata ſunt, alter quidem naturalis, alter vero ſupernaturalis: ita & duo ſunt providentiæ genera, alterum, quo Deus rebus proſpicit omnibus ſecundum earum naturam eum ſervans ordinem, quem ipſe in mundo conſtituit, alterum, quo regit creaturas ſublimioribus conſiliis, quæ referuntur ad finem, quem illas creans ſibi propoſuit. Finis hic dicitur ſupernaturalis; ſuperat enim omnes naturæ vires, & nonniſi extraordinario, & gratuito acquiri poteſt concurſu, quem liberaliter concedit Deus præter illum, qui naturæ debetur.

Plures etiam providentiæ ſpecies in Deo poſſunt diſtingui.

Divinæ intereſt providentiæ conſulere neceſſitatibus totius hominum communitatis generatim; quæ univerſalis providentia poteſt appellari; & quia ſinguli homines ſunt membra hujus communitatis, intereſt etiam providentiæ ſingulorum proſpicere neceſſitatibus, eaque particularis dicitur providentia: & quia in ſingulis hominibus nihil præſtantius, & dignius eſt anima immortali, intereſt quoque providentiæ æternis animæ neceſſitatibus proſpicere: & quod tandem corpus mortale, ac tempori ſubjectum eſt animæ inſtrumentum in operationibus ejus, eſt etiam providentiæ temporalibus corporis neceſſitatibus conſulere; quam temporalem voco providentiam. Vel nulla eſt providentia, vel hæc omnia complectitur officia.

Omnia divinæ providentiæ ſubjecta ſunt, & erga Deum nihil eſt fortuitū.

Cum quidquid in mundo accidit, divinæ providentiæ ſubjectum ſit, quemadmodum demonſtrative probat S. Thomas articulo ſecundo quæſtione 22. ſequitur, caſus omnes, qui accidunt, & quidquid fortuitum appellatur, non eſſe tale niſi habita ratione cauſarum particularium, quæ prohiberi poſſunt, ne ſuos effectus producant, ſed cum ſubjectæ ſint cauſæ generali, & ſuperiori, nihil eſt, quod ordini per eam conſtituto ſeſe valeant ſubtrahere. Hinc fit, quod quidquid nobis fortuitum eſt, a Deo prævifum eſt, imperatum, vel permiſſum. Hoc principio refellitur ſententia Stoicorum, qui agnoſcere videbantur vim ſuperiorem, quam fatum vocabant: *Fatalem neceſſitatem rerum omnium, actionumque, quam nulla vis rumpat*, ut loquitur Seneca lib. 2. Nat. quæſt. c. 35. Sed manifeſta contradictio eſt, aſſerere aliquid in mundo eſſe fortius Deo; hoc enim efficit Deum pendere ab eo, quod ipſo fortius eſt, ideoque illi aufert divinitatem in id, quod a nemine pendet, transferendam. Præterquamquod hæc ſententia, quæ a Sanctis Patribus, & præſertim a S. Auguſt. impugnatur, omnino hominis libertatem evertit.

Quamvis homo liberum habeat arbitrium, tamē Providentiæ ordini ſubditus eſt.

Tradit Deus hominem in manus conſilii ſui, quin ideo ceſſet homo divinæ providentiæ ordini ſubditum eſſe; hæc enim traditio non aliud ſignificat, quam libertatem, atque indifferentiam ejus, quatenus non eſt ad unam tantummodo operationem coarctata, veluti virtus rerum naturalium, quæ mutæ ſunt, & ad finem ſuum aliena vi, non autem per ſeipſas adductæ quippe quæ actuum ſuorum non habent arbitrium. Et eædem actiones, quæ ex libero proficiſcuntur arbitrio, adhuc ſubjectæ ſunt divinæ providentiæ, quatenus ad Deum, tanquam cauſam ſuam, poſſint reduci; quod non prohibet, quominus pro animabus juſtis Deus peculiarem habeat providentiam. Ita cum Boethius loquitur de im-

de immutabilitate rerum, quæ divinæ providentiæ ſubditæ ſunt, hoc intelligitur de infallibili certitudine, quæ in Dei providentia invenitur, quæ nunquam deficit, non autem de effectibus, quorum alii quidem neceſſarii ſunt, alii contingentes.

Deus immediate omnia moderatur.

Duo ad providentiam pertinent; alterum eſt ratio ordinis rerum ad finem ſuum tendentium; alterum eſt hujus ordinis executio, ipſa videlicet gubernatio. Deus autem, ex D. Thomæ ſententia, immediate rebus omnibus conſulit ſecundum rationem ordinis, quo ad finem ſuum feruntur. Sed quod ſpectat ad hujus ordinis executionem, Deus non omnia immediate gubernat; ſed ea moderatur, ac dirigit interventu ſuperiorum, ut in omnibus mundi hujus rebus conſtituat ſubordinationem, quod in ipſo non eſt impotentiæ, ſed præſtantiæ, & dominationis argumentum; non ſecus ac in principibus ſupremis dignitatis, & præſtantiæ nota eſt ſubditos, & miniſtros habere ſuo parentes imperio, qui eorum mandata exequantur. Sed ignorare cauſam, ac rationem rerum, qua miniſtrorum ſuorum accidunt opera, hic ſane in principe inſignis eſſet defectus.

Providentiam adeſſe, qua mundus gubernatur.

Dubitanter inquirere utrum in Deo ſit providentia, quæ peculiariter ſibi depopoſcerit provinciam regendi mundum hunc, quem ille creavit; hæc, ex Clementis Alexandrini ſententia, ex iis quæſtionibus eſt, quæ punitionem potius, quam reſponſionem merentur. Quoniam ambigere de providentia, eſt ambigere, utrum mundus ſubſiſtat ex partium componentium conſervatione; eſt ambigere, utrum cœli, & ſydera ſuper caput noſtrum in orbem ferantur, utrum variæ ſint anni tempeſtates, utrum in terris creaturæ ſint; quippe ne una quidem eſt, cujus ſtructura, qualitates, & operationes non ſint totidem probationes adeſſe ſupremam poteſtatem, qua creata fuit, & ſupremam ſapientiam, qua ad finem deducitur.

Dei exiſtentia, ſapientia, potentia, providentia res ſunt adeo eſſentialiter conjunctæ, ut ex ſapientiſſimorum Ethnicorum ſententia, ſi datur prima, & univerſalis cauſa ſpiritusque dominans, ac eſſentiam, vitamque tribuens iis omnibus, quæ exiſtunt, neceſſe etiam eſt, hanc univerſarum curam ſuſcipere, cumque ſit velut immanis hujus corporis anima, ſeſe ſuper omnes illius partes effundere. Impii tantum, rudeſque Ethnici docuere, Deum terrena hæc negligere; præſtitiſſet eos dicere, nullum omnino eſſe Deum; quippe Deum ſine providentia concipere, idem eſt ac ſibi fingere inane quoddam divinitatis phantaſma. Deo providentiam auferre idem eſt ac auferre illi vel ſapientiam, vel bonitatem, quæ ſunt eſſentiales qualitates illius. Etenim vel noſtram novit infirmitatem, vel ſecus; ſi primum, caret ſapientia; ſin alterum, quin afferat medicinam, caret bonitate.

Rationes eædem, quæ probant Deum in mundo, probant etiam eſſe providentiam.

En tibi argumentum, quod omnes continet probationes, quæ afferri conſueverunt contra impios, ac flagitioſos homines, ut de providentiæ veritate perſuadeantur. Unus eſt Deus; omnia hoc nobis annuntiant; exiſtentia illius indelebilibus ſcripta eſt characteribus in rebus omnibus, immo etiam in corde tuo. Igitur & providentia eſt; hic enim Deus non exiſteret, niſi ſapiens eſſet: quæ autem illius eſſet ſapientia, ſi fortuito eventui mundum, quem creavit, relinqueret? Ita rationes eædem, quæ Deum fuiſſe probant, ſimul & providentiam eſſe probant; vel potius utimur ordine, quem in magno hoc orbe videmus, & ſapientia, qua gubernatur, quæ quidem nihil eſt aliud, quam providentia, ut probemus Deum eſſe, atque ſupremam intelligendi vim, quæ illum conſervat, & quæ ordinem, quem ibi videmus, tuetur. Alias probationes fuſius ſub hujus tractatus finem afferemus.

Divinæ providentiæ ratio in humanorum criminum punitione.

Si Deus non ſemper impios poſt eorum crimina punit, nequaquam ibi inferendum eſt nullam eſſe providentiam. Divina juſtitia ſæpe aliqua utitur mora; ſed nunquam Deus abjicit mentem hoc ocyus, vel ſerius faciendi. Nonnunquam exemplaria immittit ſupplicia, ut ſuam oſtendat providentiam, atque ſedet murmurationes eorum, qui dubitare poſſent; ſed plerumque ſuum retinet brachium, ſeu daturus impiis ſpatium pœnitentiæ, & redimendi ſcelerum pœnam pretio bonorum operum, ſeu oſtenſurus ſe aliquid in futuram vitam reſervare. Hac de cauſa ſæpe videmus impios impunitate fruentes poſt nefarie facta, cum interim Dei juſtitia temporali pœna perſequatur leviſſimas quaslibet bonorum noxas, illorum vero flagitia æternis ſuppliciis reſervet.

Quod ad fortunæ pertinet bona, nemo poteſt ambigere, quominus providentiæ conſilium ſit eadem inæquali ratione diſtribuere. Deus enim ſæpe manum aperit, & affluenter ſuas opes effundit in eos, qui abutuntur illis, ut oſtendat ſe bonorum ſuorum dominum eſſe, ac de illis pro ſua, non autem noſtra voluntate diſponere: ſæpe etiam illam claudit erga pauperes, qui eum enixius efflagitant, vel quia non vult ſibi ſervitutem præſtari ſpe commodorum, vel quia videt futurum, ut illi intereant, ſi affluenter ea poſſederint. Illius igitur commune conſilium eſt bona hæc modo juſtis, modo impiis elargiri. Cum juſtis illa impertit, illis ſubſidium præbet juſtitiam augendi bono illorum uſu; pauperibus ea confert, quæ illis ſunt neceſſaria, & calamitoſis perfugium præbet: ſed interea e re cenſet, juſtum nullam habere certitudinem ſemper, ac ſine ulla intermiſſione rerum copia fruendi, ne in illis ſuam conſtituat felicitatem, & ne Deo ob lucri ſpem deſerviat. Sed impiis etiam aliquam humanæ felicitatis portionem aſſignat providentia, ſeu ut per dona illos ad officium revocet, ſeu ut remuneretur, ſi quid unquam boni fecerint, antequam illos privet bonis æternis, ſeu denique in ira ſua hæc illis bona concedit, quia inter opes, & copiam impii reprobationi ſuæ cumulum addunt.

Deus ſecundis utitur cauſis, ut providentiæ ſuæ conſilia exequatur.

Verum eſt, Deum nemini concedere poteſtatem, & curam mundum regendi, ipſum per ſe ſua exequi conſilia, atque a ſe uno pendere, ut quodcumque ſibi placuerit ad finem perducat. Sed hoc non prohibet, quominus quibuſdam committat Deus curam ſua exequendi conſilia, & imperia. Veritas hæc ad plurimos extenditur; ad divites erga pauperes; quamobrem divites vulgo providentiæ vicarii appellantur erga egenos, quibus ſubvenire tenentur ex eo, quod bonis ſibi divinitus datis abundant; ad parentes erga filios, ad dominos erga famulos, & generatim ad ſuperiores omnes erga eos, qui illis ſubditi ſunt: hinc fit, quod qui obtemperant illis in iis, quæ non ſunt contra Deum, ſubditus eſt imperiis providentiæ; qui vero illis rebellis eſt, providentiæ juſſa detrectat.

Cum interſit providentiæ mortalium omnium neceſſitatibus generatim, & ſingulorum ſpeciatim conſulere, ſolum rationis lumen nobis oſtendit providentiæ hujus ordinem expetere, quod generale bonum particulari præferatur; quemadmodum princeps totius imperii ſui bono, & ſecuritati proſpicere debet, quin negotium illi faceſſat, utrum privati nonnulli aliquid inde capiant detrimenti, de quo jure conqueri nequeunt. Hoc ſolum principium, quod in dubium revocari nequit, ſatisfacere poteſt queſtubus, & murmurationibus, quæ contra providentiam fieri poſſent; quare permittat impios bonis admiſceri, & ſimul cum bonis vivere; quare tot ſint novæ creaturæ, quæ in terris ad aliarum excidium poſitæ tantum videntur; quare tanta ſit in conditionibus, & in bonorum mundi hujus diviſione inæqualitas. Qui non æque ac alii affluentem bonorum copiam ſortiti ſunt, vel qui ex hoc ordine a Deo conſtituto aliquid mali patiuntur, jurene conqueri poſſent, ſi cogitarent hæc omnia pro communi bono, & pro univerſali providentia eſſe neceſſaria, quandoquidem ſinguli ibi ſuam nanciſcuntur utilitatem, quæ non ſemper in principum regimine invenitur?

Divina providentia animarum potius, quam corporum noſtrorum invigilat utilitati.

Credendum non eſt providentiam temporalibus tantum negotiis noſtris invigilare debere; ſi enim Deus, quem colimus, ſuam gloriam perquirit, Sanctos potius, quam divites facere illi glorioſum eſt; ſi autem noſtram utilitatem, nobis utilius eſt in æternum, quam ad breve tempus eſſe beatos. Si Deus ſapientia plenus eſt, præcipuas curas ſuas debet impendere ei rei, quæ præcipua eſt, & majoris momenti; ideoque animæ noſtræ neceſſitatibus: & ſi bonus eſt, quærere debet ea, quæ nobis meliora futura ſunt, ideoque animæ noſtræ bona præ bonis corporis ipſius; & denique ſi Deus ipſe fidelis eſt in promiſſionibus ſuis, nobis non debet temporalia ſubſidia, niſi poſtquam æterna contulerit; hic enim eſt ordo ab incarnata Sapientia conſtitutus: *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* Matth. 6.

Per hoc principium, quod in dubium revocari nullatenus poteſt, Deum videlicet animæ potius, quam corporis, atque æternæ felicitatis potius, quam boni temporalis noſtri rationem habere, facile magnum auferri poteſt mundi ſcandalum, quod præbet juſtorum quidem adverſitas, iniquorum vero felicitas; hic enim ſcopulus eſt, in quem pſeudoſapientum allidit argumentatio. Putant Deum injuria peccatorum quidem elationem, juſtorum vero dejectionem æquo animo ferre; & cum Propheta Pſalm. 43. exclamant: *Exurge, Domine, exurge;* excute hunc ſomnum gloriæ tuæ adeo contumelioſum. Nunquam vero Dei oculus in mundi regimine attentior eſt, neque ordo melius unquam ſervatur, quam in hac ſpecie perturbationis: tunc enim omnia ad juſtorum utilitatem diſponens, hos & propriis adverſitatibus, & proſperitatibus impiorum ad veram felicitatem perducit.

Non prohibet Deus rationabilem negotiorum noſtrorum curam.

Illud autem cogitandum eſt, Deum nequaquam prohibere rationabilem curam, qua ipſi labore noſtro propriis neceſſitatibus conſulere debemus; legimus enim, S. Paulum quotidie laboribus ſibi victum comparaſſe, atque adhortatum fuiſſe fideles ad manuum laborem, ut haberet, unde aleretur, atque pauperibus opem ferret. Sed illas tantum prohibet curas, & animi anxietates, quibus inceſſanter torquentur illi, qui de illius providentia diffidunt; itaut inopiæ timor ſæpe illos a juſtitia deterreat. Hæ illæ ſunt ſollicitudines, & curæ, quas Dei filius condemnat, quia omnia dividunt, diſſipantque animæ pacem, atque tranquillitatem perturbant, ac prohibent, ne vacet Deo. Si enim illi, qui mordicus temporalibus rebus inhærent, famulantur Deo, hoc agunt potius, ut bonis diffluant, quam ut Dei regnum inquirant, quod Jeſus Chriſtus proprie interdicit.

Non minus debemus Deo propter ordinariam illius providentiam quam ſi pro nobis eſſet extraordinaria, & miraculoſa.

Homines maxime commoventur extraordinariis, & miraculoſis auxiliis, quæ divinitus accipiunt quibuſdam in occaſionibus; ordinaria vero ſubſidia, quæ quotidie recipiunt, ne cogitant quidem; ſed ratio fallacia hæc ipſorum judicia corrigat neceſſe eſt, atque tandem aliquando fatendum eſt, nos non minus debere Deo, quod nos alit, & noſtris neceſſitatibus conſulit vulgato modo, quam ſi ad id quotidie miraculum operaretur, quod cum aliquibus Sanctis fecit. Semper utroque modo eadem agit providentia, eadem erga nos bonitate acta, & eadem, vi, qua hos effectus producit.

Dei providentia ſe æque ad minima, ac ad maxima extendit.

Fallitur, qui putat providentiam ad majora tantum ſe extendere, quia id merentur, & præ reliquis digniora ſunt. Ignorarine poteſt, nihil Deo dignum eſſe; & nihil inter hæc inferiora, ac terrena illius curam, atque intentionem mereri; ſed divinæ ſapientiæ intereſſe, late ſeſe ad omnia, & ſingula extendere, atque omnia infinito conſilio ſuo moderari, ita ut nihil eam fallat, & fugiat? Etenim quid hic eſt univerſus orbis, ſi cum Deo, qui nullis finibus continetur, conferatur? cum Deo, qui, ut Iſaias c. 40. inquit, immanem hanc aquarum congeriem menſus eſt, atque manu ſua immenſam hanc cœlorum molem appendit, tribuſque digitis univerſum ſuſtinet orbem terrarum. Et profecto non majori ſtat illi pretio totius mundi, quam atomi unius creatio, & pro utraque unicum illi ſatis fuit verbum: *Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus* Sap. 6.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Omnium infidelitatum maxima eſt non credere providentiã.

SI per ſpiritum infidelitatis, & quod providentia non creditur, eidem ſeſe ſubjicere detrectat aliquis, quodnam malum cum hoc eſt comparandum; non credere id, quod ſine ulla dubitatione non ſolum inter credibilia maxime fide dignum eſt, ſed quod credibilium omnium eſt fundamentum? non credere, quod Ethnici ipſi præ aliis ſapientiſſimi ſolo rationis lumine crediderunt; non credere quod independenter ab ipſa fide ipſi indeſinenter experimur, ſentimus, & fateri cogimur ſexcentis in occaſionibus eo teſtimonio, quod primi naturæ motus nobis extorquent; ſed præſertim non credere apertiſſimam veritatem per eaſdem rationes, quibus eadem maxime confirmatur, & quæ ſolæ ſatis eſſe poſſunt ad nos perſuadendos: talis eſt illius hominis ſtatus, qui providentiam fateri detrectat. Seipſum excæcat, S. Chryſoſtomus inquit, in ipſo luminum fonte, qui eſt ipſe Deus, nam prima, magiſque immediata concluſio, quam ex Dei exiſtentia inferre poſſumus, hæc eſt, eſſe providentiam. Unde ſequitur quod hanc negans providentiam, vel Deum ignorat, quæ horribilis eſt impietas, vel monſtroſum ſibi effingit Deum, hoc eſt Deum, qui creatarum rerum curam non gerit; Deum, qui neque de earum incolumitate, neque perfectione ſollicitus eſt: Deum, qui neque juſtus, neque ſapiens, nec bonus eſt, quia nihil horum eſſe poteſt ſine providentia. Hinc S. Chryſoſtomus addit, eo redit, ut in ipſa chriſtiana religione ſit Ethnicus, vel quantumvis Chriſtianus non abhorreat ab eo, quod in ipſa Ethnicorum ſuperſtitione vitioſiſſimum, & corruptiſſimum eſt. Vix enim inventæ ſunt Ethnicorum ſectæ, quæ providentiam negaverint, vel de illa dubitaverint, niſi illæ, quæ nequiſſimis innixæ principiis homines ad turpiſſimas voluptates, atque obſcœnitas impellebant: illæ videlicet, quibus optandum erat, ne in mundo vel Deus eſſet, vel lex, vel pœna, vel merces, vel providentia, vel juſtitia. *P. Bourdalove in veris Sermonibus tom. 8.*

Cæcitas, & contradictio hominis mundani de providentia.

Hominis mundani ſcelus circa providentiam eſt ſeſe præbere incredulum, atque ſenſu carentem contra rationem eamdem. Etenim hic idem impius ſolo rationis inſtinctu, quin ne cogitet quidem, admittit providentiam. Quomodo illud? Hoc ſane. Credit regnum nonniſi principis ſapientia, & conſilio bene gubernari poſſe: credit domum ſine patrisfamilias vigilantia, & œconomia non poſſe ſubſiſtere: credit navem regi non poſſe, ſi peritus, attentuſque deſit nauta; & cum cernit navim hanc pleno mari fluctus ſecantem, familiam hanc rite inſtitutam, regnum hoc in pace, ac tranquillitate floreſcere, haud hæſitanter concludit, non deeſſe mentem, quæ iis omnibus præſit. Sed ubi de univerſo agitur mundo, aliter vult argumentari, & vult hunc ſine providentia, ſine conſilio, & fortuito in eo mirabili ordine, in quo illum intuemur, vigere. Hoc nonne eſt propriis adverſari luminibus, propriæque rationi reſiſtere? *Idem.*

Nemo eſt, qui non expertus ſit aliquem effectũ providentiæ in vita ſua.

Nemo eſt, qui animo vitæ ſuæ annos reputans, atque memoria repetens, quidquid ſibi contingit, immorari non debeat quibuſdam punctis, hoc eſt occaſionibus quibuſdam, in quibus verſatus eſt, quibuſdam periculis, e quibus evaſit, & quibuſdam eventibus felicibus, vel infelicibus, ſed inſuetis, & ſingularibus, quibus perculſus fuit, & qui fuere totidem viſibilis providentiæ argumenta. Quod ſi verum eſt de mortalibus omnibus ſine ulla exceptione, multo magis verum eſt de illis, qui in mundo nitent, qui magna habent in mundo negotia, qui mundi commercium, & ſecretum norunt. Quid enim eſt mundus, ajebat Caſſiodorus, niſi magnum theatrum, & magna providentiæ ſchola, ubi quantumvis parum attendatur, ſingulis momentis diſcimus, non deeſſe in univerſo potentiam, atque ſapientiam humanæ ſuperiorem, quæ eorum conſilia vertit in ludibrium, quæ eorum fata diſponit, & quæ tamquam ſupremum rerum omnium habens arbitrium omnia moderatur? *Idem.*

In mundo vivitur, quaſi providentia non crederetur.

Tale malum eſt, quo ſenſim mundi ſpiritus nos adducit. Quamvis providentia credatur, vivitur tamen perinde ac non crederetur. Creditur providentia, & nihilominus negotia tranſiguntur eadem ſollicitudine, anxietate, impatientia, eadem oblivione Dei, cum res proſpere cedunt, eadem animi dejectione in adverſitatibus, eadem audacia in conatibus, ac ſi providentia hæc nomen eſſet inane, & de re nulla decideret, vel in rebus nullam ſibi partem vindicaret. Et profecto ſi providentiæ fides in vitæ noſtræ ratione eam obtineret partem, quam debet; hoc eſt, ſi hæc providentia ſemper nobis ob oculos obverſaretur, ſi noſtrum quiſque ſeipſum reſpiceret tanquam ſubditum ad illius juſſa exequenda natum, jam nihil in nobis non rationabile adeſſet; nulla cupiditate agitaremur, nulla abriperemur impatientia, non eſſemus vani, non inquieti, non ſuperbi, non invidi, non ingrati erga Deum, neque erga homines contumelioſi. Providentiæ huic ſubjecti non bonis, neque malis abuteremur; rebuſque in omnibus ſervaremus ſanctam hanc ſenſuum, & deſideriorum moderationem, quæ ſecundum Sancti Pauli ſententiam nos & in proſperis moleſtos, & in adverſis patientes efficeret. *Idem.*

Qui a providentia ſecedunt, ſunt idololatræ fortunam colentes.

Conſiderate mundi ſectatorem, qui a providentia recedit, ne ab eadem ulterius dependeat, id agere, ut vel in quemcumque ſortis eventum vitam ducat, vel cæce ſequatur fortunæ curſum, cujus torrens omnes infirmas animas trahit, vel ut ſeſe regat ſecundum humanæ prudentiæ conſilia, in cujus partes ſapientes mundi concedunt. Ajo utrumque Deo maxime contumelioſum eſſe. Etenim non aliud vitæ ſuæ habere principium, quam fortunam, & curſum hujus ſequi velle, nonne eſt labi in Ethnicorum idololatriam, qui, ut S. Auguſtinus animadvertit, qui in mundi eventibus Dei conſilia adorarent, maluerunt ſibi fingere varium, ac mobile numen, quod fortunam dixere, eo uſque, ut illi delubra ædificarent, in neceſſitatibus ſuis ei vota nuncuparent, ad illud leniendum ſacrificia offerrent, eique gratias agerent, cum illud ſibi propitium adfuiſſe ſupponerent? Idololatria, cujus abuſum illi ipſi, qui inter Ethnicos aliqua præditi erant ſapientia, ferre non poterant: *Quid enim eſt*, ajebat Plinius, *quod nunc toto orbe, locisque omnibus fortuna invocatur, una cogitatur, una nominatur, una colitur?* *Idem.*

Humana prudentia per ſuperbiam providentiæ ſubeſſe detrectat.

Cauſa eorum, qui providentiam deſerunt, ut humanæ prudentiæ conſilia ſequantur, paucioribus obnoxia malis eſſe debere videretur; ſed hac in re fallimur. In fortunæ fautoribus plus eſt temeritatis, ſed in mundi ſapientibus plus ſuperbiæ. Quæ enim ſuperbia eſt, quod homo in ſeipſo confidens, ac in ſe uno ſpem omnem collocans, ſatis illuſtratum ſe putet, ut ſeipſum regat, atque jure ſibimetipſi plaudere poſſit, & bona ſua eouſque, ut inter ſe dicat, quod impii in Scripturis: *Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia*, Deut. 32.

Deut. 32. Ego ipſe me feci, qualis ſum, per induſtriam, laboremque illuc evaſi, ubi ſum: fortunæ domus meæ, negotiorum meorum proſper eventus, locus, quem teneo, omnia ſunt opus manuum mearum, non Domini. Quæ ſuperbia, cum non ſatis ſit luminis, ut ſexcentis in occaſionibus hominum conſilio carere nequeamus, ſatis nobiſmet conſilii eſſe putemus, ut Deum conſulere minime teneamur? *Idem.*

Qui ſeſe providentiæ ſubtrahere vult, neceſſario turbatur.

Cum, ſecundum Bibliorum teſtimonium, cogitationes hominum ſint incertæ, confuſæ, timidæ in iis præſertim, quæ ad illos pertinent: *Cogitationes mortalium timidæ.* Sap. 9. Si homo ad ſeipſum redactus propria dumtaxat ſequitur conſilia, ſtatim inquietus eſt, incertus conſilii, pavidus, cum de nulla re certus eſſe poſſit, cum de rebus omnibus diffidere debeat, ſuæ libidini traditus, ſua inconſtantia agitatus, mancipium imaginationis, quæ ipſum illudit, obnoxius nobilitati ejus ingenii, quod illi dominatur. Cum repletus ſit cupiditatibus, quæ etiam ſibimet adverſantur, non aliud expectare debet, niſi ut ab illis lanietur; & ſi ſemetipſum colligit, ſtatim ſecundum varios animi ſitus triſtitia obruitur, nequiſſima invidia diſrumpitur, immodica ambitione voratur, ira intumeſcit, dolore torquetur, in ſeipſo non pœnam, ſed infernum inveniens. *Idem.*

Principum favor non poteſt ſupplere divinæ providentiæ.

Si huic amabili providentiæ Dei ſupplere erga nos poſſet hominum favor, hic ſane principum favor eſſet, quos tanquam terræ Deos reſpicimus, vel amicorum, & miniſtrorum, qui aſſident illis, qui in mundo omnia nobis poſſe videntur. Hi autem illi ſunt, in quibus ne confidamus, Scriptura nos admonet, niſi ſuper laborantem ædificare baſim velimus: *Nolite confidere in principibus.* Pſ. 145. Utque hanc fidei veritatem nobis experientia magis exploratam efficeret, iſti illi ſunt, quorum favor pertinaciter conquiſitus, ac inutiliter excultus juſto Dei ſupplicio quotidie facit plures miſeros, plures illuſos, defatigatos, deceptos, ideoque plures magnæ hujus veritatis teſtes: videlicet in filiis hominum, etiam ſecundum mundi conceptum nullam eſſe ſalutem: *In filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Idem.*

Qui a providentiæ ordine recedunt, poſt plurimas curas, & mala eam fateri tenentur.

Ex his favoris adoratoribus, ex his mundi ſectatoribus, atque mancipiis quærite, quid in ipſis accidat, & videte, utrum ne unus quidem ſit, qui non fateatur, conditionem ſuam pluribus obnoxiam eſſe faſtidiis, moleſtiis, & mortificationibus, quæ evitari poſſunt, eamque perpetuam eſſe captivitatem. Nonne ita illi in ipſo proſpero rerum ſuarum curſu loquuntur? Cum vero poſt tot artes, ac dolos eorum prudentia in aliquem ſcopulum allidit, & inopinato caſu aliquo, qui eorum perturbat conſilia, ſe neglectos, contemptos, & oblivioni traditos vident, tunc, S. Auguſtinus exclamat, ſolemnem adhibent honorem providentiæ, a qua nunquam pendere voluerunt. Atque tunc quoque viciſſim Deus non ſine quadam irriſionis ſpecie, quam illi ſua permittit juſtitia, & quæ nulla in re ipſius lædit miſericordiam, credit ſe jure illis reſpondere poſſe: *Ubi ſunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam? Surgant, & opitulentur vobis.* Deut. 32. Ubi ſunt Dii, quorum præſidio freti, nihil timebatis, & qui vobis opem ferre debebant? Dii, quorum præſidio ſuperbi eratis ubi ſunt? *Surgant, & in neceſſitate vos protegant*; prodeant nunc, ac veſtram curam ſuſcipiant. *Ibid.*

Mundani licet rebelles ſunt adhuc ſub imperio providentiæ.

Mundanus quantumvis rebellis nonne adhuc eſt ſub imperio providentiæ? Sane eſt, & invitus erit; ſed hoc ipſum cumulum addit ipſius infelicitati. Hæc enim duo ſunt providentiæ genera, quæ in homines exercet Deus, alterum ſeveritatis, & alterum bonitatis, alterum juſtitiæ & alterum miſericordiæ; & ſimulac homo ſeſe propitiæ ſubtrahit providentiæ, in qua requiem ſuam debet inquirere, invenit ſe traditum ſeveræ providentiæ, quæ perſequitur illum, ut grave eidem ſuum oſtendat imperium. Quaſi diceret Deus; noluiſti illam amplecti, hanc ſuſtinebis; quippe æterna, & irrevocabili lege alteram alteri ſubrogavi. . . . Amoris mei providentia te delinire non potuit, impoſterum ergo juſtitiæ meæ providentia te coercebit, te reprimet, atque ultionibus, qua occultis, qua manifeſtis, ſeſe tibi aperiet, atque invitum ad officium revocabit. *Idem.*

Bona eorũ qui ſubjecti ſunt providentiæ.

Cum perfecte ſubjecti eritis providentiæ, in id unum animum, operamque impendetis, ut voſmet in ſtatu veſtro ſanctificetis, quin phantaſma aliquod confectemini. Hinc familiarum veſtrarum curam gerentes, poſtquam id perfeceretis, quod & Chriſtianos decet, & in vobis ſitum eſt, ut votorum ſummam conſequamini, in amabili hac providentia conquieſcetis, in cujus ſinum, ut Apoſtolus inquit, omnes curæ projiciendæ ſunt, credentes, atque cum certitudine credentes, ſi vos eidem fideles extiteritis, hanc vobis nullibi defuturam: *Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum.* 1. Petr. 5. Hinc ex mundi ſervitute, atque captivitate eruti omnia a Deo expectabitis, in Deo præſidium, & confidentiam veſtram conſtituetis; aſſequemini ſanctam beatamque filiorum Dei libertatem; nubes omnes evaneſcent; tempeſtates omnes ſedabuntur; ac momentum ſecretæ pacis, quam ſuperbia veſtra toties perturbavit, plurimorum reparabit fallacium bonorum damnum, ad quæ contendebatis, inaneſque auferet cupiditates, quæ vos tot moleſtiis, & tam gravibus certaminibus objiciebant. *Idem Serm. 1. Nativitatis J. C.*

Contradictio impiorum providentiam negantium.

Illud vero mirum eſt, quod homo diſſolutior ſæpe de providentia dubitare vult per rationes eaſdem, quæ invicte probant providentiam, & quæ ſolæ ſatis eſſe deberent, ut hanc illi perſuaderent. Etenim cuinam rei innituntur hæ de providentia Dei dubibitationes? quod in mundo mira ordinis perturbatio videtur. Immo hinc, S. Chryſoſtomus inquit, neceſſario inferendum eſt illi, providentiam adeſſe. Et ſane cur mala, quibus plus eſt mundus, inordinatam perturbationem efficere videntur, & efficiunt, niſi quod contra ordinem fiunt, ordinique repugnant? Quid autem hic ordo eſt, cui repugnant, niſi providentia? Impius ergo id objicit, quod omnem aufert objectionem, & fit infidelis per id, quod fidem illius confirmare deberet. At enim, inquit ille, ſi daretur providentia, nunquid in hominum ſocietate tot accederent mala, quæ ipſis etiam hominibus ſcandalum ingerunt? At reſpondeo: ſed hoc ipſum, quod ipſis etiam hominibus ingeritur, ſcandalum nonne authenticum eſt providentiæ argumentum, non permittentis hæc mala probari, & volentis illa ab hominibus tanquam flagitioſa, & nefaria ſemper cenſeri? Si nihil hominibus ſcandalum afferret, tunc fortaſſe ambigi poſſet, utrum eſſet providentia, & fortaſſe impius in corde ſuo dicere poſſet, non eſt Deus. Sed donec ex vitii nequitia ſcandalum arripimus, donec ipſius mundi cenſura licentiam damnat, providentia in tuto eſt; & nil horum officit illi. Hæc autem ſemper ſcandalo erunt, quia ſemper Deus erit, & providentia. *Id. Serm. de Providentia.*

Deus mortalium omniũ ſingillatim curam gerit.

Fatendum eſt debere Deum ſuas curas neceſſitatibus peculiaribus, ac temporalibus omnium creaturarum; ad id enim ſeipſum adegit iis promiſſionibus, quæ maximam habent perſuadendi, atque movendi vim. Admiratus eſt ille modicam hac in re fidem noſtram: *Quanto magis vos modicæ fidei?* Vetuit, ne in poſterum ſolliciti eſſemus: *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum.* Matth. 6. Nos etiam ad flores, & volucres miſit, ut de hac re edoceremur; quippe avium, florumque alimentum, & ornatus palam providentiæ ſolertiam oſtendunt: *Reſpicite volatilia cœli.* Ex vilium harum creaturarum comparatione cum nobis inſtituta bis ſuadet confidentiam, nobis inquam, qui prima ſumus curarum ejus objecta: *Nonne vos magis pluris eſtis illis?* Tenetur ergo omnium filiorum ſuorum neceſſitatibus conſulere; qua in re illum de fide præſtitiſſe ſcio, ut ejus inimicos provocare non dubitem, ut vel unum inveniant hominem juſtum, unum filii Dei nomine dignum, quem, cum extrema laboraret inopia, providentiæ manus minime juverit. David diu vitam produxerat, & utriuſque fortunæ vices fuerat expertus; at profitetur ſe neque in ipſa adoleſcentia, neque in ſenectute ſua unquam vidiſſe juſtum derelictum, ac juſti progeniem ad egeſtatem redactam. *P. de la Rue Serm. pro Domin. 4. Quadrag.*

Inæqualitas conditionum, quæ ſunt in eccleſia, probat eſſe providentiam.

Veſtra toties auditur querela de magna conditionum inæqualitate, cum principum, tum ſubditorum; cum dominorum, tum famulorum; cum divitum, tum pauperum; quæ quidem vobis ingens perturbatio videtur, ſed potius eſt admirabile divinæ providentiæ ſecretum. Citra hanc inæqualitatem mundus langueſceret, atque confuſus eſſet. Omnes in potentiæ æqualitate ſibi ultro citroque operam, mutuumque denegarent auxilium: alter alteri officium, & obedientiam detrectaret. Fuit igitur, S. Auguſtinus ait, univerſalis providentiæ omnia complectentis conſilium diverſas generis humani partes mutua ſubordinatione in unione, & actione continere per hanc ſtatuum, & conditionum diverſitatem, per hanc opum, & inopiæ oppoſitionem, per neceſſitatem, qua nobiles ignobilium indigent opera, & ignobiles favore nobilium, per impoſſibilitatem, qua alii ſine aliis nequeunt ſubſiſtere, per legem, quam irrogavit Deus ignobilibus quidem, ut nobilibus reverentiam, & obſequium deferrent, nobilibus vero, ut erga illos juſtitiam, & charitatem exercerent, & per legem laboris, quam generatim mortalibus omnibus infixit. *Idem.*

Altius menti imprimenda eſt veritas, quæ magno eſſe poteſt ſolatio; quidquid in mundo ſit, unice in electorum bonum fieri. Exiſtimatis Deum diſtribuere bona,

proſperos eventus, coronas, victorias ad opes huic afferendas, ad illi auctoritatem conciliandam, ad populorum reverentiam, & admirationem erga alium ciendam. Ineptæ cogitationes! Deus non aliud quærit, quam ſalutem filiorum ſuorum, utque illos eo deducat, gloria, contemptus, opulentia, paupertates, throni, compedes, proſpera, adverſa omnia manibus ſuis miſcet Deus, non fortuito quidem, ſed ad arbitrium, veluti varia prudentiæ adminicula ad juſtum ad veram gloriam attollendum idonea. *Idem.*

Quod fortuitum videtur, eſt effectus providentiæ.

Oculos aperiamus viſuri, quomodo perficiat Deus id, quod decrevit; quantalibet erga peccatores utatur patientia, & quantumvis omni lenitatis genere illos ſuſtineat, tandem experiuntur, omnes illius ſententias irrevocabiles eſſe, & quidquid in eos inexorabilis ſua juſtitia decreverat, certiſſime adimpleri. Sapientia illius adeo mirifice omnia diſponit, & hæc naturaliter adeo adimplentur, ut ea fortuito quaſi fieri videantur; ſed ita fortuito, ut omnis ſapientia, & omnis bona, vel mala hominum voluntas ea prohibere non poſſint, quemadmodum in Scripturis videmus neque Eſau, neque patrem ejus Iſaac prohibere potuiſſe, quod de Jacob decreverat Deus. *Liber, cui titul. Vita Patriarchar. Vita Iſaac.*

Bonis perſuaſum eſt omnia in mundo regi ſapientis providentiæ conſiliis, & nihil fortuito contingere. Illi eventus omnes, qui accidunt, tanquam Dei reſpiciunt imperia, qui in bonorum, malorumque diſtributione nonniſi optimas habere poteſt intentiones. Si non omnia ſemper illis e voto eveniunt, inde tamen per animi ſubmiſſionem maxima eliciunt bona; cum impii e contra in Deum rebelles tanquam deſperati patiuntur, neque Deus paſſiones eorum ipſis merito adſcribit. *Abbas de Bellegarde, in Proverbia Salomonis.*

Providentia, quæ avibus victum ſuppeditat, non derelinquit homines.

S. Cyprianus eloquenter utitur comparatione a filio Dei inſtituta volucrum cœli non ſerentium, & eſcam ſuam a divina miſericordia expectantium. Volucres Deus paſcit, inquit ille, & paſſeribus alimenta diurna præſtantur, & quibus nullus divinæ rei ſenſus eſt, eis nec potus, nec cibus deeſt. Tu chriſtiano, tu Dei ſervo, tu operibus bonis dedito, tu Domino tuo charo aliquid exiſtimas defuturum? Niſi putas, quia qui Chriſtum paſcit, a Chriſto ipſe non paſcitur, aut eis terrena deerunt, quibus cœleſtia, & divina tribuuntur. *Ex S. Cypriano de opere, & eleemoſyna.*

Qua cura Deo ſerviendũ ſit, eo quod ille noſtri curam gerit.

Hanc, ut ita dicam, ſibi depopoſcit provinciam Deus ea omnia, quibus homo indigeret, ſuppeditandi, ut eum cogeret ad ſuam confugere potentiam, ſuæ benedicere bonitati, ſuam admirari providentiam, & majori cum tranquillitate, & confidentia ſua leges adimplere. Omnia opera admirabilia, o Domine, quæ ex nihilo eduxiſti, ut noſtris egeſtatibus inſervirent, a benefica manu tua eas recipiunt impreſſiones, quæ illas in meam excitant utilitatem; nonne æquum eſt, ut præcipuam aſſentationem meam convertam, ut una celebrem beneficia, & eam ſanctitatem acquiram, cui me deſtinas? Tu pro me tantum facis hac mente, ut id agam pro te. Id unum mihi eſt agendum: ſi a meo fine receſſero, quem locum tenere debeo inter infinitas creaturas, quæ in meam tibi obtemperarent utilitatem? *Liber, cui titulus: Animadverſiones in varia religionis, Ethicæque argumenta.*

Si Dei providentia tanta cura creatarum rerum ſenſu, & ratione carentium conſervationi invigilat, quid tandem faciet erga rationabiles ſubſtantias, quæ primum in terris obtinent locum, & pro quibus cætera quæcumque creata ſunt? Ullane veritatis ſpecies eſſe poteſt, a ſummo rerum domino eam negligi creaturam a qua una gloriam recipere poteſt, vel eam negligendo ipſum, quod cupit, ex ea percipere poſſe? fatendum eſt ergo Dei providentiam æque neceſſariam eſſe, atque exiſtentiam, ſapientiam, bonitatem, ac infinitas perfectiones illius. *Ex tractatu de religione Marchionis de Planitie.*

Qui in providentia confidit, libere poteſt ad Deum confugere.

Anima, quæ ſeſe in providentiæ ulnas projicit, id agit, quod ab illa exigit Deus, atque hoc pacto cogit Deum, id facere, quod ipſa ab eodem expectat. Deus illius periculum fecit, eamque fidelem nactus eſt; ipſa quoque viciſſim, abſit verbo invidia, periculum facit Dei, & ab eo aliquod fidelitatis teſtimonium exquirit. Deus, ut loquitur Scriptura, interrogavit illam per bonorum ejus jacturam, per paupertatem, vel morbum, quæ totidem ſunt quæſtiones Dei, quemadmodum a S. Cypriano appellantur; opus eſt, ut illa viciſſim interroget Deum, & plena humili confidentia petat ab eo, ut promiſſi fidem exolvat. *Ex ſermone hujus argumenti inter ſermones morales.*

Fruſtra aliquis providentiæ imperiis adverſatur.

Cum hominis conſilia abnormia ſunt ab hac ſuprema ratione, & immutabili decreto, fruſtra dicere potes, quod olim inſolens Adonias: *Regnabo*: Deus enim firmiori vocis tono ait, *non regnabis.* Ultionis cupidus, invidusque fruſtra cogitat perdere inimicum ſuum, ut olim Aman ſe perditurum eſſe Mardochæum gloriabatur: Deus, qui eadem eſt veritas, atque potentia, inquit, non perdes. Homo qui ſollicitationibus, dolis, ac verſutiis ſuis prope eſſe videt, ut lis ſibi adjudicetur, fruſtra, judicio victor decedam, inquit, Deus enim, cujus providentiam laceſſivit, ait; non vinces, quamvis omnia judicum ſuffragia favere tibi videantur. *Idem.*

Omnia, quæ in mundo accidunt, a Deo ad electorum ſalutem referuntur.

Omnes iſti magni eventus, qui in civili mundo inanem hominum prudentiam perturbant: omnes iſti caſus adeo varii, mobileſque, qui adeo contrarios in mentibus noſtris motus cient: inopinati caſus, qui fortunæ libidini inferuntur accepti, adeo ſubitæ elationes, lapſuſque adeo præcipites: regnorum fortuna, & interitus, eorum incrementa, & decrementa, opera ſunt dexteræ Dei, qui hominum ſaluti invigilat, qui nihil intentatum relinquit, ut hoc ſibi e voto contingat, qui omnia contemnit, dummodo hoc unum aſſequatur. *Ex Sermone quodam Pater de la Colombiere.*

Solliciti ſumus, & agitamur, quippe ſupponimus humanis hiſce conatibus nobiſmet comparare poſſe ea, quæ nobis deſunt, neque enim ſatis credimus, Deum hanc ſuſcepiſſe curam nobis conſulendi, vel quia non ſatis ſubditi ſumus imperiis providentiæ Dei, neque vellemus temporalibus hiſce bonis carere, quamvis ille vellet; ſed ea, quæ ad victum ſunt neceſſaria æquiſſimis, & legitimis acti cauſis perquirere poſſumus; communis enim ordo providentiæ eſt, hominum laboribus uti ad ea procuranda, quæ ſunt ipſis neceſſaria. Ita anxia ſollicitudo eſt quædam rebellionis ſpecies contra Deum, & tranquilla applicatio eſt executio ordinis providentiæ: ſollicitudo eſt ſuimetipſius perquiſitio, & applicatio pars eſt ejus laboris, quo Dei regnum eſt inquirendum. *Eſſais de morale tom. 5.*

Ex mẽte ejiciendæ ſunt ſollicitæ de futuro cogitationes.

Eas omnes abjiciamus curas, quæ inutili labore animum lancinant, quia ſive ſolliciti ſimus, ſive ſecus, Deus unus eſt, qui hæc omnia tribuit nobis, & eo tribuit liberalius, quo minus ipſi ſolliciti ſumus. Ad quid nobis proderunt omnes hæ curæ, & anxietates, niſi ut nos torqueant, & ut earum pœnam ſuſtineamus? Qui ad magnificum invitatus accedit convivium non quærit, utrum ibi futurum ſit, unde veſcatur; & qui ad fontem ſe confert, non ſollicitus eſt, utrum ibi ſitim ſit revelaturus. Quandoquidem ergo nobis Dei adeſt providentia, quæ ditior eſt, quam magnificentiſſima quælibet convivia, & uberior, quam fontes altiſſimi, ne ſolliciti ſimus, neque diffidamus. *Ex Homiliis S. Chryſoſtomi.*

Qui a providentia pẽdere detrectat in hac vita miſer eſt.

Fingite vobis, Salvianus ait, navim medio in mari furentibus agitatam ventis, ſive nauta, & gubernaculo, elementi hujus libidini, & procellarum furori traditam: talis eſt in mundi commercio homo, qui ſolus ſeipſum regit. Quam in abyſſos ille non decidet? in quot ſcopulos non allidetur? quot naufragiis non erit expoſitus? Nihil mente ejus infirmius eſt, nihil voluntate illius mobilius; cor ejus perpetuo oppoſitarum affectionum æſtu agitatur. Quid ergo ille aget? nunquid in hominibus confidentiam conſtituet? hæc certa calamitas eſt: *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Jerem. 17. Malorum omnium maximum eſt confidere in hominibus, quia homo ſuapte natura cupidus eſt, infidelis, inconſtans; quæ qualitates ſatis oſtendunt, quid ab illo ſit expectandum. *Ex Manuſcripto Sermone.*

Non deſunt mortales, qui cum non poſſint rationem omnem ita abjicere, ut abſolute negent providentiam in Deo, cor habent ita cæcum, ut illam credere, eique ſeſe ſubmittere nolint. Agunt, quaſi nulla eſſet providentia, eadem ſollicitudine quærunt, quæ ſua ſunt; in negotiis eadem utuntur verſutia; in adverſis æque animos deſpondent; in iis, quæ infeliciter accidunt, æque mœrore afficiuntur; atque in cœptis ſuis pari calore, ac audacia feruntur, ac ſi nulla eſſet providentia. Magna inſania eſt providentiam non credere, ſed longe major eam credere, & in ea non confidere. *Idem.*

Cœlorũ motus, & natura univerſa providentiã eſſe docent.

Quid enim eſſe poteſt tam apertum, tam confeſſum, tamque perſpicuum, cum oculos in cœlum ſuſtuleris, & quæ ſunt infra, citraque luſtraveris, quam eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo omnis natura inſpiretur, moveatur, alatur, gubernetur? Cœlum ipſum vide, quam late tenditur, quam rapide volvitur, vel quod in noctem aſtris diſtinguitur, vel quod in diem Sole luſtratur: jam ſcies, quam ſit in eo ſummi moderatoris mira, & divina libratio. Vide ut annum Solis ambitus faciat, & menſem, vide ut Luna auctu, ſenio, labore circumagat. Quid tenebrarum, & lu-